



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

TEITSBIBLIOTHEEK GENT



900000138104

Digitized by Google



A 32359'

Acc 32359

H Y M N I

S A C R I

E T N O V I,

Auctore SANCTOLIO Victorino ,

EDITIO NOVISSIMA;

*In quâ Hymni omnes , quos Auctor usque ad
mortem concinuerat , reperiuntur.*

I. H. H. H. H. H.

IV. H. H. H. H. H.

VI. H. H. H. H. H.

... ..

H Y M N I

S A C R I

E T N O V I,

Auctore SANCTOLIO Viſtorino,

EDITIO NOVISSIMA;

*In quâ Hymni omnes, quos Auctor usque ad
mortem concinuerat, reperiuntur.*




AMSTELODAMI,

Ex Officinâ WESTENIANA.

M, D C C, L X,



ALL THE
THESE
THESE



AD LIBRUM
PRODEUNTEM IN AURAS,
SUB AUSPICIIS
EMINENTISSIMI
S. E. R. CARDINALIS
EMMANUELIS-THEODOSII
BULLONII
PRINCIPIS,
DE TURRE ARVERNÆ
ET SACRÆ ABBATIÆ CLUNIAC.
ABBATIS ALECTI.

I, LIRER, ecce tibi totum datur ire per orbem;
Ex quo BULLONIUS, Latii pars magna Senatûs,
Te placido vultu, manibusque excepit amicis;

A iiij

*Nam memini, quantis, te docta per otia Princeps,
 Captus amore tui, cumularit laudibus, ut te
 Incæpit legere, & primos percurrere versus.
 Ipse tuo insignis titulo, formæque placebas;
 Quin & lectorem res intentata trahebat.
 Non cessabat opus laudare, simulque Poëtam;
 Testis eram; te sæpè legens, noctesque diesque
 Et relegens, doctæ studia intermissa Juventæ,
 Olim delicias, jurataque fœdera Musis,
 Secessu in placido, se se renovare canebat.
 Pertæsus jam dudum haud æquà mente ferebat;
 Simplicitate rudes, & majestate Tōnantis
 Non dignos aded, quos Error scripserat hymnos
 Prætextu pietatis, & Ignorantia Vatum.
 De me, deque tuis, semper mihi chare Libelle,
 Non ita carminibus Princeps censebat amicus.
 Quippe tuus nitor, & verborum culta supellex;
 Et gravitas rerum, & rebus sups ordo placebat.
 Quis mihi tum sensus? Vos ó memorare potestis!
 CLUNIACÆ valles, loca sola, umbræque silentes,
 Et nemora & sanctis habitata heroïbus antra.
 Omnia erant mihi læta; animo nil amplius ultra
 Optabam, tot muneribus, tot honoribus auctus.
 Jam me divinis audebam æquare Poëtis.*

*Et tibi, parve liber, quis honos! quæ gloria! sanctis
 Dum manibus Princeps volvit te & sæpè revolvit,
 Miratus sensus in versu simplice magnos.
 Hinc magis elatum te vidimus, atque tumentem
 Insolito fastu; te fastus & ille decebat;
 Fœderibus sacris qui terras jangis Olympo.
 Quin tu, scilicet unus, ad alta negotia nati
 Principis affixum & pectus mentemque tenebas.
 Nam rerum occurrens nova semper imago, legentis
 Pascebat recreans animum, sub imagine magnâ
 Heroum admirantem ingentia facta piorum.
 Nunc tibi mole graves, operosa volumina, Libri
 Decedant; brevitatem tuâ, cultuque placebas,
 O felix nimium, & tanto LECTORE superbus!
 Et posthac rabidos morsus, unguesque timebis?
 Ergo age, BULLONIO placuisti: exire per auras
 Quid metuis? divinus Amor tibi commodat alas.
 I, penetra geminos axes, pete diffusa regna,
 Extremosque hominum iaponas; tibi terminus orbis
 Non fuerit, perge ulterius, terrasque relinque:
 Cælum meta tua est; superis te sedibus infer,
 Unde venis. Nobis immensa palatia Divum
 Per te jam reſerata patent: das pervia vivis
 Tempia subire Dei, & sanctos intrare recessus;*

*Cælestesque suo simul ordine cernere turmas ;
 Virtutesque , Chorosque omnes , cælique Quirites ;
 Quos inter mihi designas in veste micantem .
 Purpureà modò BULLONIUM ; qui frontis honores !
 Quale jubar vultûs ! patrio securus Olimpo ,
 Infano procul à strepitu , & popularibus auris ,
 Felix sorte suâ , nil jam mortalia curat .*



PAULO PELLISSONI FONTANERIO,

Quod abjuratis Musis profanis, hos Hymnos
de divinis rebus scribendos proposuerit,
& proponendo inspiravit.

SE U pro consiliis te regia detinet Aula;
Seu, quod bella vacant, Regem comitaris euntem;
Huc ades, & sacris facilem da cantibus aurem,
FONTANERI; humiles interdum desere terras.

Illud opus fausto quod te duce prodit in auras;
Jure tuum lato, quo nos olim, accipe vultu.
Fors erit, ex isto ut veniat tibi carmine nomen.

Haecenus incautum juvenem me luserat Error,
Diique, Deæque omnes tot ludicra Numina Vatum,
Reliquiae veterum infames, & monstra pudenda,
Vana Superstitio pulchris illapsu cecidit
Pectus imaginibus, sensimque assuescere Falso
Suadebat; dolci ha! nimium mens pota veneno.

Famae avidus Juvenis, laudumque cupidine
captus,

Ibam quod Musæ, quod tu me, Phæbe, vocabas.

A V

*Demens , qui Veri non justo incensus amore ,
 Nescio quid captans nugarum , insana sequebatur .
 Qualis deprensus densâ sub nocte viator ,
 Incertusque viæ , volitans si fortè per auras
 Accensus vapor , & fallax illuxerit ignis ;
 Exilit , vanâ delusus imagine lucis :*

*Sponte ducem sequitur , tuto pede calcât apertum .
 Quod sibi fingit iter : misero placet error eunti .
 Ni caveat , subitoque premens vestigia sistat ,
 Præcipitet se se medios malè catutus in amnes .
 Haud aliter præceps ulterò in mea damna ruebam ,
 Cùm bonus occurris , longisque erroribus actum ,
 Proponens meliora , paternâ mente reducis .*

*Pone , inquis , falsas Musarum & Apolliniæ artes .
 Sat Musis Phœboque datum ; juvenilibus annis
 Ludi conveniunt , his & sua gloria ludis :*

*Sed plenos postquam jam vir compleveris annos ,
 Te majora vocant ; simul omnes ordine longo
 Monstrans cœlicolas , totum mihi pandis Olympum .*

*Hic aderant spectandi ostro , vultuque verendi
 Præcones duodeni , olim qui funere spreto*

*Mille tubis terras CHRISTUM insonuere per omnes ;
 Hos juxta , fusi quæ purpura sanguinis ornat ,
 Vulneribus speciosa suis , palmisque superba*

Agmina , dura suæ cædis monumenta gerebant.
 Non procul his formæ insignes teneræque puellæ,
 Quas CHRISTUS sacro sibi fœdere junxit amantes,
 Omnes, Virgineis ornata tempora vittis.
 Stabant magnanimo & quæ virginitatis amore
 Sexum ultra , immanes non expavere tyrannos,
 Parte aliâ vidi ingentem splendescere turmam ,
 Et qui per longos vitam traxere dolores ,
 Quinque diu flentes specubus latuere sub altis ,
 Omnibus ignoti terris ; Matresque , Nurusque ,
 Et pueri cænique Senes , confusaque turba ,
 Ponè sequebantur. Tacitus dum singula lustrô ,
 Tartarum hærebam stupescens imagine rerum,
 Vidi gemmifero cinctos diademate frontem ,
 Vidi Pontifices ; longè omnes antè micabant
 Vestibus in sacris , Numen toto ore ferentes ,
 Auspicio populo , circum fumantibus aris ,
 Ætèrno libare Patri , paterisque receptum
 Qui facit esse deos , divinum haurire cruorem.
 Nec non & radius , & in aurèâ luce corusci ,
 Qui nisu audaci , vel adhuc mortalibus oris ,
 Divinæ intrarunt penetra sacraia mentis.
 Hi fuerint deinceps , qui te & tuæ carmina possant
 Magnanimi Proceres , hic te labor , hac pia cura ,

*Hoc te poscit opus : si quæ te gloria tangat ,
 Si quis honos , ne te eximio furare labori.
 His vatem urgebas dictis : tum pectore sensi
 Ardorem impressum , magnamque ad carmina
 mentem.*

*Continuò rapidis totus super æthera pennis
 Eace feror : tunc visa mihi decrescere tellus ,
 Et fugere ex oculis ; nec jam mens se capit intus
 Obruta terrificis splendoribus : intima totum
 Pectus inundavit , torrentis more , voluptas.
 Qualis eram ! vis intus agis , tum effundere versus
 Afflatus meliore Deo. Mihi quisque piorum
 Facta enarrabat memorans , monstrabat honores
 Promeritos , pœnasque omnes , dum vita manebat ,
 Tot verâ exhaustos pro Relligione labores :
 Fulgebat partâ donatus quisque coronâ.
 Longè aberant positis Mendacia turpia larvis ,
 Et stolidi Errores , & quidquid adultera Veri
 Fabula commentis incredula pectora mittit.
 Quin etiam pannosa , rûdis , mendaxque Vetus
 Ostentans ænos , rugasque in fronte seniles
 Necquicquam , puros divini ad luminis ignes
 Victa recedebat taceris ingloria chartis.
 Scribebam interea præclaram ex ordine gentem ;*

Mè cœlo affixum tantus labor iste tenebat ;

Et prope divinum , mutatâ sorte , Poëtam.

Æmula tum Virtus , pectusque animumque subibat

Et me multa docens , mores pius ipse magister ,

Paulatim informabat Amor , mentisque veterum

Sæpius incusans me ad fortia facta vocabat.

Quàm longè mihi dissimilis ! me adjungere sacris

Cœtibus ardebam , similesque referre triumphos.

Sic Phœbum & varias Phœbi ejuravimus artes.

Si quid nunc sapimus , si toto Helicone relicto ;

Flumina plena Deo , cœlestesque hausimus undas ;

Si sacra carminibus resonat divûm atria nostris ,

Illud , Paule , tuum est ; hujus te gloria facti

Iusta manet , seris quæ furget major ab annis.

Tu mihi fidereas das primus visere sedes ,

Das superis jungi , vivisque impervia regna ,

Æthereas peragrarè domos ; terrisque relictis

Ostensum per iter , jussu super astra volatu

Das divina oculis mortalibus ora tuari.

Et posthac vos vana colam simulacra Deorum !

APPROBATIO ET PERMISSIO
R. P. LUDOVICI DE BOURGES,
Prioris Sancti Victoris Pariensis, & Sacrae
Facultatis Parisiensis Theologi Doctoris.

CUM difficile sit & operosum, res quæ ad Christianam Religionem spectant, servatis germanæ Latinitatis ac rectæ Poëseos legibus, pertractare; tum certè majoris est negotii Hymnos, qui in Dei Sanctorumque laudem canendi omnium oculis & manibus versantur, conficere. In hoc enim genere scriptionis non solummodò cavendum ne quid prophanum aut molle irrepat, aut ne quid concinnitatem metri vel sermonis puritatem labefactet: verùm id etiam satagendum ut ablegatis syllaborum & concurrentium vocalium elisionibus ad cantûs suavitatem carmen aptetur. Hæc quàm diligenter omnia præstiterit Victorinus noster, imò Ecclesiasticus Vates Santolius, satis superque declarat nova hæc ac diu multumque desiderata Hymnorum illius collectio.

Nihil toto in hoc Opere reperire est, quod

Poeticas fabulas & Gentium ritus oleat, nihil
 seu in dictione humile aut obscurum, seu in
 metro asperum aut incompositum: At sic om-
 nia pietatem spirantia, sic ad cantus modula-
 tionem accommodata, sic nitide demum &
 eleganter disposita, ut rerum majestati par-
 penè sit styli nitor ac venustas. Ita nobiscum
 sentiet quisquis hunc libellum legerit, in quo
 nihil deprehendet non sanæ fidei bonisque mo-
 ribus consonum. Unde cum multum ex hoc
 opere emolumentum rem Christianam capturam
 esse confidamus, hujus evulgandi quâ licet fa-
 cultatem facimus. Datum in Regia Victorina
 quinto Kalend. Jun. A. R. S. 1689.

F. L. DE BOURGES, Prior
 S. Victoris Parisiensis.

ILLUSTRISSIMO
ECCLESIAE PRINCIPI
CAROLO PRADEL,
EPISCOPO MONTISPESSULANI.

*Quo more, ac modo recitandæ sūt à Clericis
Horæ Canonicae.*

ALTERNO Jessæa choro quæ carmina psallis,
Æternas gens nata Deo persolvere laudes,
Hic tibi servandas, quas scripsimus, accipe
leges:

Qui formavit, habet, quibus audiat, & Deus
aures.

Maxima debetur sanctis reverentia Templis,
Hæc habitat Deus, & præsentî numine replet.
Hujus ad aspectum puræ sine corpore mentes,
Terrificæ trepidant crebra inter fulgura lucis.

Si mordet te noxa gravis, vel limine in ipso
Ingressum paveas, sceleris neque conscius intres
Templa augusta, sacris Deus est penetralibus
ultor.

Si quid at impuri contraxeris, elue labem
 Confestim; nescis? tu templum, & sanctior ædes:
 Pectoris ille tui sacros habitare recessus
 Plus ambit, quàm juncta simul certo ordine saxa,
 Sic loca sancta, metu posito, lustratus adibis,
 Et solves divina tuam in præconia linguam.

Ne venias, placare cupis si numinis iram,
 Elatus caput, & benè compto bellulus ore,
 Promissoque capillitio, nec odoribus unctus
 Allicias spectantium oculos; nec veste placebis,
 Moribus at puris: decus est sibi splendida Virtus.

Ne rerum species violent sacraria mentis,
 Captivos sensus durâ sub lege tenebis.

In toto sedeat depicta Modestia vultu,
 Ut qui te videat, propiori numine tactus
 Sentiat esse Deum præsentem, & pronus adoret.

Ne nimium celeri confundas omnia cantu,
 Sed paveas ad verba, ipso dictata Tonante:
 Plena Deo sunt verba; moras servare memento;
 Cantanti prodest, seu pectora fessa subinde
 Respirent, seu mens quod profert lingua, re-
 solvat,

Et sacras voces arcano ruminet ore.

Ad numeros hilarem lentus ne protrahe can-
 tum,

Nec te adeò afficiat vocis sonus , intima rerum
Scrutare , & sensus tecum meditare profundos.

Non incompofitis lædas clamoribus aures ,
Nec leviorè sono molles imitabere cantus.

Sit plaufum captare pudor ; nam talia fpernit
Vota precesque Deus ; puri fufpiria cordis ,
Et facitos gemitus attentis auribus audit.

At neque cantanti rictus diftorqueat ora
Vaftior ; & rupto fe vox de pectore trudat ,
Unde folent refonare immani templa boatu :
Non clamore Deus placatur ; ut audiat alto
E folio ; nil vocis eget ; vos furda , Prophetæ ,
Numina , nec quicquam valido pulmone voca-
caftis.

Concordes animos monftret concordia vos
cum ,

Par ftudium variâ pro conditione locorum :
Rite obferventur , quæ funt præfcripta quorâ
annis.

Absint bella , præcul facris difcordia templis ;
Pro ritu ancipiti fi quid peccatur , in ipfo ,
Advertens culpam , momento corrige , dum res ,
Et tempus tulerit ; fi qui tibi deinde refiftant ,
Nec valeas folus te contrâ opponere turbæ .

Errorem permitte , Deo gratissimus error :
 Mox , cujus fuerat melior sententia , prudens ; ,
 Paulatim cùm se malè nata remisit ira ;
 Errorem ostendas , & erit tibi gloria major :

Felix ! si nondum exutus mortalia membra ,
 Has retinens leges , patrio præludis Olympo . . .



DE QUELLE MANIERE , & dans quelles dispositions le Clergé doit chanter l'Office Divin.

PEUPLÉ né pour remplir les fonctions des Anges ;
 Qui chantez à deux Chœurs les divines louanges ,
 Pour vous bien acquitter de cet heureux emploi ,
 Ecoutez mes avis , qu'ils vous servent de loi.
 Ministres du Très-haut , puissiez-vous bien comprendre
 Que Dieu qui fit l'oreille , en a pour nous entendre.
 C'est dans les Temples saints , qu'habite le Seigneur ;
 N'y paroissez jamais que saisis de frayeur .
 Dans un profond respect adorez sa présence ;
 Les Anges éblouis de sa divine essence ,
 Au milieu des éclairs qu'il lance incessamment ,
 Y sont , quoique très-purs , dans un saint tremblement
 Si par quelque péché votre ame est ulcérée ,
 De ces augustes lieux craignez même l'entrée ;
 Craignez qu'un Dieu-vengeur justement irrité
 Ne punisse à l'instant votre témérité .
 Ne différez donc pas , si votre ame est impure ;
 De la purifier de la moindre souillure ,
 Lavez-la dans les eaux d'une amère douleur :
 Que tout soit pur en vous , & les yeux & le cœur .
 Plus jaloux de ce cœur , que d'aucun Sanctuaire ;
 Dieu veut bien faire en lui sa demeure ordinaire .

*Lorsque vous serez pur , entrez dans les lieux saints ,
Avec joye entonnez les Cantiques Divins.*

*Voulant fléchir du Ciel la Justice irritée ,
Fuyez tous ces grands airs d'une tête éventée ,
Retranchez ces cheveux si longs & si galans ,
Capables d'attirer les yeux des assistans :
Par de vaines senteurs n'affectez point de plaire ;
Qu'en vous tout soit conforme au sacré ministère ;
Plaisez plus par les mœurs , que par le vêtement ;
Une vertu solide est un grand ornement.*

*De peur que quelque objet en dissipant votre ame ,
Ne puisse rallentir l'ardeur qui vous enflame ,
Vous ne sçauriez avoir trop de sévérité
A retenir vos sens dans la captivité.*

*De les rendre soumis faites-vous une étude ;
Qu'ils reçoivent le joug d'une sainte habitude.
Qu'ils sçachent à l'esprit obéir en tout tems.*

Pour prier , c'est beaucoup de bien régler ses sens.

*Soyez si composé , qu'en vous voyant l'on sente
Du Dieu que vous servez , la Majesté présente ;
Et que chacun touché d'un tel recueillement ,
Devant lui se prosterne , & l'adore humblement,*

*Gardez-vous de tomber dans le confus murmure
D'un chant précipité , sans ordres & sans mesure :
Par un motif de foi pesez , ou respectez
Jusques aux moindres mots que Dieu même a dictés
Plein de l'Esprit du Dieu qui lance le tonnerre.
Ces oracles devroient faire trembler la terre.*

Le chant par quelque pause a dû se mesurer ;
 Ce repos fait trouver le tems de respirer,
 Et le cœur peut goûter ces vérités sacrées ,
 Qu'avec différens tons la bouche a proférées.
 Observez donc toujours les pauses qu'on prescrit ;
 Pour soulager le corps , & pour nourrir l'esprit.

Mais aussi gardez-vous d'une manière lente ;
 Ne défigurez pas par une voix traînante
 Un air dont la cadence a de la gayeté :
 Par la beauté des tons craignez d'être flatté ;
 Ne vous arrêtez pas à cette foible écorce ,
 Il faut peser des mots & le sens & la force.

N'allez point par des cris aigres ou glapissans
 Vous rendre insupportable à tous les assistans.
 N'affectez point non plus des manières mondaines ;
 Et pour vous attirer quelques louanges vaines ,
 Ne donnez point au chant un air effeminé ;
 Dieu méprise les vœux d'un cœur ainsi tourné.
 Apprenez qu'il n'écoute avecque complaisance ,
 Que ces gémissemens poussés dans le silence ,
 Ces cris intérieurs , & ces tendres soupirs ,
 Qui d'un cœur épuré lui marquent les desirs.

Jamais grimace en chant ne doit être employée ;
 Evitez de chanter à gorge déployée ,
 La bouche trop ouverte , & trop violemment.
 C'est de-là que nous vient ce grand mugissement ;
 Dont les Temples sacrés quelquefois retentissent ;
 Dieu ne s'appaise point par des voix qui glapissent ;

*Il ne prend point plaisir à ces fortes clameurs ;
 Ce Dieu , qui regne au Ciel au milieu des splendeurs ;
 Nous entend pleinement de son Trône sublime ,
 Sans ce bruit de la voix , que trop d'ardeur anime
 Vous , Prêtres de Baal , par des cris redoublez
 Invoquez un Dieu sourd , qu'en vain vous appelez .*

*Que l'union des voix marque celle des âmes ;
 Que les cœurs bien unis brûlent des mêmes flammes .
 Chaque lieu différent a son rit à garder ,
 Aux usages reçus on doit s'accommoder ;
 Et suivre exactement dans le cours de l'année ,
 Ce que l'on trouvera prescrit chaque journée .*

*A l'Eglise sur tout évitez les débats ;
 Sur un rit incertain ne vous échauffez pas :
 Une cérémonie est hors d'œuvre , sur l'heure
 Changez-la , s'il se peut , en une autre meilleure .
 Mais s'il n'est pas aisé de vous faire écouter ,
 Tout seul à tout un chœur n'allez pas résister ;
 Laissez-les manquer tous ; qu'une faute semblable ,
 Pour conserver la paix , au Ciel est agréable !*

*L'on ne peut en ce point agir trop prudemment ,
 Pour empêcher l'éclat d'un sot entêtement .
 Quand , quelque tems après , la chaleur est passée
 Vous pouvez simplement dire votre pensée ,
 Leur montrer par raison qu'ils étoient dans l'erreur
 Et vous les forcerez d'aimer votre douceur .*

*Dans un Chant assidu qu'aucun dégoût funeste
 Ne vous prive du fruit de cet emploi céleste*

*Elevez-vous au Ciel ; que par de saints efforts
 Votre esprit dégagé des liens de son corps
 Ose se transporter jusques dans l'Empirée ;
 Qu'il entre en ce Palais d'éternelle durée ,
 Qu'il parcoure à loisir la Divine Cité :
 Qu'admirant de ces lieux l'immuable beauté ,
 Il se joigne aux concerts des troupes Angéliques ,
 Qui font tout retentir de leurs sacrés Cantiques .
 Là cette auguste Cour , en s'anéantissant ,
 Avec elle en tout tems que votre cœur l'adore .
 Plein de ces sentimens , quoiqu'un mortel encore ,
 Vous serez Citoyen du bienheureux séjour ,
 Et vous commencerez , tout embrasé d'amour ,
 A chanter les grandeurs de cet Être adorable .
 Pour jouir à jamais de ce bien ineffable .
 Quel plaisir pur & saint ! quel excès de douceur !
 Viendra comme un torrent inonder votre cœur !*

*Heureux qui suit ces Loix , & qui dès cette vie
 S'efforce d'imiter la Céléste Patrie .*

F I N.



HYMNI SACRI ET NOVI.

IV. DECEMBRIS.

SACRIS PIGNORIBUS,

VULGO

SANCTIS RELIQUIIS.

O vos unanimes Christiadum chori,
Sanctorum tumulos & cineres Patrum,
Dulces exuvias, pignora Coelitum,
Lætis dicite cantibus.

Coelo quando piis æqua laboribus
Felices animæ gaudia possident,
Poenarum sociis debita redditur.

Hic laus & decus offibus.

Passim sparsa, Deus, polliciti memor;
Custos, ne pereant, pignora colligit,
Electosque suis providus aggerit

Aptandos lapides locis.

Quin & reliquias & tumulos, sibi
Aras ipse Deus consecrat hostia;

Quia



A

2 HYMNI SACRI

Conjungenſque ſuis ſe caput artubus ,

Hos ſecum ſimul immolat.

Vos quorum cineres ſupplicibus pia ,

Tutum præſidium , plebs colit oſculis ;

Si vos noſtra movent , ſubſidium boni ,

Vestris ferte clientibus :

Ut cum noſtra novis, ſplendida dotibus

Surget juncta choris ſpirituum caro :

Indiviſa Trias ſit Deus omnia

Nobis ſemper in omnibus.

ADESTE ſancti cœlites ,

Bonique , veſtra dum piis

Coluntur oſſa ritibus ,

Votis favête ſupplicum.

Non illa , quamquam triſtibus

Imum redacta in pulverem

Cavis ſepulcris ſqualleant ,

Divina virtus deferit.

Sed ſancta præſenti ſovet

Impletque templa numine ,

Et jam futuræ ſpiritus

Post ſæcla ſervat gloriæ.

Non mihi vindico hos Hymnos.



EODEM DIE IV. DECEMBRIS.
 IN FESTO SANCTÆ BARBARÆ.

ADESTE sponsæ virgines,
 Christi gregis pars optima,
 O vos furoris victimæ,
 O vos amoris hostiæ.

Adeste, solemnis dies
 Hæc consecrata BARBARÆ,
 Quæ duplicem gestat suo
 Tinctam cruore lauream.

Inter choros cantantium,
 Agno litato, virginum,
 Hæc jure fusi sanguinis
 Virgo sedet non ultima.

Patris minæ, patris preces,
 Et juncta verbis verbera,
 Et blandientes nuptiæ
 Non dimovebunt virginem.

Quæ corpori poenæ nocent,
 Illas amans amplectitur;
 His nempe poenis libera
 Mortale corpus exiit.

Primis ab annis quam sibi
 Amore Christus junxerat,
 Illi fidem servat tenax
 Deo superba conjugæ.

Amat rosas & lilia
 Sponsus rubens & candidus;
 Martyr dedit sponso rosas,
 Deditque virgo lilia.

HYMNI SACRI

Sit laus Patri, laus Filio,
 Et par tibi laus Spiritus,
 Qui corda pura virginum
 Puris aduris ignibus. Amen.

DEPONE nomen BARBARÆ,
 Virgo vel agno mitior;
 Caput tuum qui demetit;
 Hoc convenit nomen patri.
 Inclusa turri deferis
 Terras jacentes altior,
 Cœlum salutas, & rapis
 Propinqua votis sidera.

Non tam ratis portus amat
 Quassata tempestatibus,
 Quàm, Virgo, tendis ad tuum
 Sponsum soluta corpore.

Hæc vota complevit pater;
 Tuo dedit sponso frui.
 Spem præter optato diu
 Reddit tuo te conjugi.

Post tot preces, post tot minas
 Nomen parentis exiit;
 Natæ caput trux amputat,
 Durus pater, jam non pater.

O forte pectus virginis,
 Tormenta quæ non horruit!
 Oblita stirpis regiæ,
 Suoque sexu fortior.

Sit laus Patri, laus Filio;
 Et par tibi laus Spiritus,
 Qui corda pura virginum
 Puris aduris ignibus. Amen.

SUNT virginales nuptiæ,
 Quas ipse Christus approbat;
 Si prole non terras replent,
 Replent olympum civibus.

Æterna sunt hæc foedera;
 Quæ nulla dissolvit dies;
 Vinculis ligant se mutuis,
 His conjuges liberrimi.

Christo fidem semel datam
 Quis vellet audax solvere?
 Jus perdit in natam pater,
 Fit nata jure contumax.

Surdam patri, surdam procis
 Tormenta firmant virginem;
 Corpus peribit, & suo
 Jam tum fruetur conjuge.

Dum nube ruptâ fulmina
 Terras nocentes territant,
 Ad dulce nomen BARBARÆ
 Vanos tremores ponimus.

Fac, Christe, sic uti malis;
 Et te, bono solo, frui;
 Adversa, quæ nos deprimunt,
 Ad te magis nos erigant.

Non sculpta saxo frigido,
 Nec picta mortali manu,
 Impressa nostris cordibus
 Ter sancta vivat Tripitas. Amen.

*Hos Hymnos sanctæ Barbaræ sacros C. V. D. SANCTOLIUS
 Victorinus, Collegii S. Barbaræ olim Convictor.*

P R O S A.

BELLATRIX BARBARA.

Curat in proelium,
Frustra dum tartara
Parant exitum
Invictæ virgini.

Nequicquam genitor,
Immitis carnifex,
Durus excubitor,
Poenarum artifex,
Obsistit Numini.

Deos hæc fœdiles
Calcans & nuptias,
Christi præstabiles
Captans divitias,
Patre non flectitur.

Clausæ carceribus,
Constricta vinculis,
Cæsa verberibus,
Adusta faculis,
Fide non frangitur.

Quid terris rapere,
Quam terris dederas,
Vis Pater ? addere
Cœlo tu properas,
Quo scindes gladio.

O fors latissima !
Quantum erigitur,
Cadendo victima !
Quot palmis fruitur
Vitæ dispendio !

Quis furor ! æneis
Costas pestinibus ,
Cervicem malleis ,
Carnem flagrantibus
Tædis subjiciunt.

Acutâ cuspide
Scinduntur ubera :
Fragoso lapide
Panduntur viscera ;
Pœnæ deficiunt.

Ades fortissimo ,
Christe , certamini ;
Misce castissimo
Robur & sanguini ,
Venis dum funditur.

Si truncat verticem
Ipse qui genuit ,
Hæc Deum vindicem
Habere meruit ,
Quo fursùm nascitur.

O ! quæ , tortoribus
Victis , coelestia
Jam gustas fontibus
Divinis ebria ,
Fac post te currere.

Secli blanditias ,
Terrores hostium ,
Carnis delicias ,
Quodcumque vitium
Fac nos effugere. Amen.

Authore D. SIMONE GOURDAN, Vic.

VI. DECEMBRIS.
 DIVO NICOLA O
 MYRENSI EPISCOPO.

TANTA quæ virtus tua , NICOLAE,
 Transtulit nomen geminos ad axes ?
 Sol tuos surgens videt , occidensque
 Semper honores.

Quot tibi sacri recinuntur hymni !
 Quot graves donis cumulantur aræ !
 Se quot augusto veneranda tollunt
 Nomine templa !

E sinu matris tibi durus infans ,
 Signa virtutis dederas futura.
 Te diu , multâ prece , postularat
 Mater ad aras.

Molle qui corpus puer immolabas
 Substrahens certis tibi lac diebus ,
 Pontifex , qualis grege pro tuendo
 Victimæ fies !

O tuas dicat quis amoris artes !
 Nube qui densâ benefacta celas ,
 Virginum custos , pater , & relictis
 Tutor egenis.

Rebus angustis nimis inquietus ,
 Mox suas prodet pater ipse natas ;
 Turpe venalis pretium pudoris
 Allicit aurum.

Nocte tu cæcâ , fugiens videri ,
 In domum patris , per aperta claustra ;
 Cautus injecto dubium pudorem
 Asteris auro.

Ne ferat damnum malè tuta virtus ,

Æstimas auri pretiosa damna.

Sicque dotatus pudor immolandos

Servat honores.

Fac , Deus , sic nos tenebras amare ;

Ut tibi semper placeamus uni ;

His erit quondam , retegente Christo ;

Gloria factis.

SANCTA res sanctos vocat ecce Patres :

Anxios omnes tenet unus ardor.

Quæritur Pastor , modò qui relictum

Pascat ovile.

Adstitit præses Deus , afflat omnes ;

Sole qui primo reſerata templa

Primus intrabit , properate , sacrâ

Cingite mitrâ.

Excubant portis , studio videndi

Quem Deus poscat sibi ; longiorem

Increpant noctem , nitiùmque tardâ

Lumina Solis.

Limen ut tangit pede NICOLAUS ;

Involant omnes , rapitur Sacerdos ,

Pugna fit : magnum timet imminentis

Pondus honoris.

Quid reluctaris ? Deus approbavit ,

Ipse dux facti Deus insolentis ;

Sic vocas dignos populis regendis ,

Christe , ministros.

ILLA , quæ dudum studuit latère ,
 Mille portentis tua nota virtus ,
 Instar accensæ facis , emicabit
 Major ab alto ,

Lux eris cæco , columnen labanti ,
 Et salus ægro , misero levamen ,
 Et tuum cinget latus indigentum
 Turba satelles.

Cum suis vertes simulacra templis ;
 Vocibus tristes ululare longis ,
 Dæmones visi , sua dum jubentur
 Linquere regna.

Non capit sese tua fama , Præsul ,
 Jamque regales penetravit aulas ;
 Ad tuum nomen metuenda reges
 Jussa retractant.

Morte damnatos prece te vocantes
 Liberas absens ; per opaca noctis
 Increpas regem , tua visa major
 Terret imago.

Terruit nautas : fugiebat urbem
 Plena frumento , redit acta navis
 In tuos portus , recreatque cives ,
 Messis egenos.

Tuque Nicæni nova lux Senatûs
 Afferes vindex , Erebo fremente ,
 Par Patri Verbum , Genitumque summo
 Numine Numen.

QUANTUS est ! cuius veniens ad ædem
Dexterum sentit sibi quisque numen,
Et domum semper redit, impetrato
Munere, lætus.

Profuit vivus, favet & sepultus,
It salutaris liquor è sepulcro;
Turba languentùm properate, præstat
Ille salutem,

Te nurus castæ, viduæque matres,
Virgines, sponsæ, juvenes, senesque,
Omnis & sexus reperit patronum,
Omnis & ætas.

Quin rudis fandis puer, ore blæso
Te sinu matris resonare gaudet;
Et tuas laudes hilaris juvenus
Carmine tentat.

Ad sacros postes remeans ab Indis
Ritè mercator sua dona figit;
Vos & innuptæ sine dote, fertis
Serta, puellæ.

Te procelloso tremuère fluctus,
Ut jubes, proni posuère venti;
Te vocant nautæ, maris æstuosi
Unda quiescit.

En vides; quantis agitata curis
Corda, quot tristes rapiant procellæ!
Advola promptus, rege nos, dolosum
Currimus æquor.

Summa laus Patri; tibi summa Nate,
Cujus æternum benè NICOLAUS
Vindicat Numen; tibi par superni
Nexus amoris.

A vj

VII. DECEMBRIS.

S A N C T Æ F A R Æ

V I R G I N I.

HUC vos , quæ superas incolitis domos ,

Agni deliciae , currite Virgines ;

F A R Æ sacra dies provocat æmulis

Cantus jungere cantibus.

Virgo blanditias inter amabiles ,

Luxus , alta petens , despicit aulicos :

Ardet digna Deo conjuge nobiles

Toto pectore nuptias.

Velis jam species , vanaque purpura ,

Longè nunc aliis gaudet honoribus :

Tot clarum titulis dedidit genus ,

Cœlestis generis memor.

Nequicquam thalamos proposuit pater ,

Jam desponsa Deo , virgo perhorruit ,

Voto se penitus non violabili ,

Christo debita consecrat.

Quas non ille preces mollior addidit !

Quas non increpitans addidit & minas !

Christo ritè datam , discite virgines ,

Virgo non temerat fidem.

Da te , summe Pater , tollere laudibus ;

Da te , Christe , sequi , laurea Virginum ;

Per te , divus Amor , frigida pectora

Puris ignibus ardeant.

QUID fles ? jam lacrymis pone modum tuis ,
Virgo , sponsus adest quem bene deperis.

Si te fida Deo , quem colis , obligas ,

Ultro se Deus obligat.

Juges in lacrymas faucia solvitur ,

Mortalis thalami quas timor elicit ;

Extinxit miseræ lumina Virginis ,

Fletus copia largior.

Felices tenebræ ! scilicet intimo

Christus lux animo plurimus insidet ;

Accepto superi munere luminis ,

Perdit nunc oculos libens.

Damno læta suo non timet amplius ;

Quas molles oculi delicias bibunt ;

Rerum ne violent undique lubricæ

Purum pectus imagines.

Sed longum tenebris non fruitur suis :

Orans Eustasius vix tetigit manu

Infantes oculos , nox fugit , & sua

Cæcis lux oculis redit.

Sponsam virgineo progenitum sinu

Laudent virginei cum cytharis chori ;

Laudent , dum niveis splendida Virginum

Ornat tempora floribus.

SURGE nunc Christi nova sponsa , virgo

Te decet cantus , meliorque pompa ;

Surge , te Sponsus vocat , & serenos

Indue vultus.

Barbarum flectit pietas parentem ;

Templa te poscunt , repetit Sacerdos ;

Maſte , conceptis potiêre , virgo
Jam ſacra votis.

Quam manu ſpicam geris , illa prolis
Monſtrat immenſæ fore te parentem :
Virginum jam te redimita fertis
Agmina cingunt.

Ecce longinquis properant ab oris
Virgines , Regum tibi ſceptra ponunt ;
Ad tuos nutus dociles Alumnæ
Juſſa capeſſunt.

Haſtenus fratrem precibus rebellem
Aſſeris Chriſto ; prope factus alter
Aulicos ridens , meliore ſaſtu
Calcat honores.

Tu potens , verbo rege nos , Magiſtra ;
Dedoce pompam fugientis ævi ,
Uſque da verum per opaca noctis
Cernere lumen.

Qui tuum gignis ſine matre Natum ;
Virginum cultos , Deus , ure ſacro ,
Quæ reformasti tibi dedicata ,
Flamine corda.

VIII. DECEMBRIS. & VIII. SEPTEMBRIS.
IN CONCEPTIONE
ET NATIVITATE
B. MARIE VIRGINIS.

VATUM patent oracula
Promiſſa priſcis Patribus.
En Virgo , quæ gravis Deo ,
Nobis parem parit Deum.

Toto quid orbe par fuit ,
 Virgo parens , homo Deus ?
 Quo nascitur partu puer ,
 Hoc nascitur mundi salus.

Ut nocte caligantibus
 Cœleste lumen temperet ,
 Velo tegi vult corporis ;
 Hoc , Virgo , velum præparas.

Quod prima mater perdidit ,
 Mater reformas altera :
 Mors ipsa nobis profuit ,
 Dum vita per te redditur.

Per te Deo conjungimur ,
 Cui corpus aptasti Parens :
 Per te Dei nos fisci ,
 Per te Dei fratres sumus.

Tu Dux Olympi prævia ;
 Clausas diu pandis fores :
 Nos exules , si nos amas ,
 Reddas paternis sedibus.

Sit laus Patri , laus Filio ,
 Par sit tibi laus , Spiritus ,
 Per quem sacra se Filius
 Infudit alyo Virginis.

QUIS ore digno te canat
 Virgo , Dei puerpera ?
 Adeste puri Spiritus ,
 Vestri sit illud muneris.

Quis intret augustissima
 Mentis tuæ sacraria ?
 Dotes quis enarrans tuas ,
 Perterritus non hæreat ?

Dic, Virgo, quæ vis traxerit
 Patris coævum Filium,
 E Patris æterno sinu,
 Mortalis in matris sinum?

Ad hos honorum te gradus
 Non virginalis te pudor,
 Non extulit tantum fides,
 Nec igne fervens charitas;
 Sed, quæ sibi nunquam placet;
 Deo placens modestia;
 Quâ tu tibi sis vilior,
 Hac digna sis mater Dei.

Quàm cella! quæ se deprimens;
 Altum Tonantem deprimat!
 In te, sui jam non memor,
 Descendit è coelo Deus.

Sit laus Patri, laus Filio;
 Par sit tibi laus, Spiritus,
 Per quem sacrâ se Filius
 Infudit alvo Virginis.

XIII. DECEMBRIS.

DIVO JUDOCO

O NOVUM pugnae genus! ecce fratres.
 Ambo concordî pietate certant;
 Non uter regnet, sed uter paterna
 Sceptra relinquat.

Fraude germanum prior innocenti
 Occupat, regno fugiens JUDOCUS;
 Atque fortunæ sibi suffragantis
 Munera spernit.

Sic minor natu potiore gaudet
 Sorte ; dum calcans fragilem coronam ;
 Jure coelestem duplici reportat
 Victor & heres.

Pauperis Christi decus æmulatur ;
 Quoque sit promptus magis ad palæstram ;
 Abstinet cunctis , penitusque sese
 Exuit ipso.

Dives hæc cœlo tamen est egestas :
 Namque thesauros cumulat perennes ,
 Quos nec ærugo , neque dente vermis
 Rodat iniquus.

Hanc sibi sponsam stabili IUDOCUS
 Fœderis nexu propriam dicavit ;
 Pro locupleti diadema spretum
 Dote paciscens.

Præpotens regum moderator , unus
 In tribus regnans , meritis IUDOCI
 Supplicem cœtum pius ad superna
 Dirige regna.

PONTIVI latebras , nemine conscio ,
 Illustris profugus captat amabiles :
 Uniusque Dei sollicitus trahit
 Vitam coelitibus parem.

Hic corpus juvenis nil meritum domat :
 Potum rupe scatens unda , parabiles
 Fundit terra cibos , deliciæ quibus
 Puræ coelitis affluunt.

Regno natus erat : gens vaga piscium
 Dūcit vel tacitis nutibus obsequi ;

Et prono volucris subdita principem
 Pennæ remigio colit.
 Sancto quinetiam scit dare fœnori;
 Unum cum modicâ qui superest penu,
 Panem pauperibus quatuor erogans,
 Fructu centuplici refert.
 Usuram sed enim protinus uberem
 Cœlestis properat reddere debitor;
 Frumenti totidem navigiis bene
 Panis frustula munerans.
 Mosem, si videas, dixeris alterum;
 Cum virgam quatiens imperat aridæ.
 Saxosoque sinu profiliens latex
 Haymonis recreat sitim.
 Tantas, summe Pater, cordibus intimis
 Virtutes renovet Spiritus artifex;
 Et duris lacrymas pectoribus ciens
 Sordes criminis eluat.

XIV. DECEMBRIS.

SANCTO NICASIO MARTYRI

RHEMENSIS ARCHIEPISCOPO.

Vos tutela, sacri præsidium gregis,
 Agnis pro teneris excipitis neces,
 Pastores caditis, sed cruor integro
 Fusus pro grege supplicat.
 Urgent ecce Rhemos, gens fera, Wandali;
 Plebs se tota cavis turribus occultit;
 Sed Pastor trepido sollicitus gregi,
 Intrat Templâ NICASIUS,

Supplex, fusus humi, fervidus in preces,
 Pro se, pro populo, quos gemitus dedit!
 Læsi quâ valeat flectere numinis

Iram, proposuit mori.

O si, Christe, tuo parcere vis gregi!
 Pro tot criminibus publica victima
 Adsum: terribilem sustineas manum

Iræ vindicis immemor.

Crescit flamma, furor; rebus in ultimis
 Sacros Pontificis plebs fuit in sinus;
 Hortaris populum; quando doces mori,
 Te morti quoque devoves.

Urbem jam mediam Wandalus occupat,
 Urbs ardet, rapitur, mille volant neces;
 Inter tot strepitus, corde sub intimo

Pacem magnanimus tenes.

Tu cum plebe volas obvius hostibus,
 Sanctas ante fores, præsidio loci
 Non jam tutus eras. Percutiunt, cadis

Contemptâ nece fortior.

Execrata scelus templa remugiunt,
 Se dat præcipitem Wandalus in fugam,
 Et pax empta ducis funere, protinus

Turbatis ovibus redit.

Patri maxima laus, maxima Filio,
 Amborumque sacro maxima Flamini
 Cujus præsidio proelia sustinent

Fuso sanguine Martyres.



XXVI. DECEMBRIS.

**SANCTO STEPHANO
PROTOMARTYRI.**

QU I tuo , dux Martyrum ,
Præfers coronam nomine ,
Non de caducis floribus
Tibi coronam nectimus.

Tuo cruenta sanguine
Quàm saxa fulgent pulcrius !
Aptata sacro vertici
Non sic micarent sidera.

Quot ~~facta~~ fronti vulnera
Tot tela lucis emicant ;
Et Angelo monstrat parem ,
Quod prodit è vultu , iubar.

Tu prima Christo victima
Vitam rependis victima ,
Primusque testis , æmulo
Deum fateris funere.

Tu primus ostensam tibi
Maris rubri sulcas viam ;
Quot te sequentur Martyrum
Quibus præis , exercitus !

QU I D , obstinata pectora ,
Verbo Dei resistitis ?
Qui vos Deo plenus docet ,
Hunc destinatis funeri.

Omnes in unum sæviunt,
 Saxis gravant truces manus:
 Hunc particeps Saulus necis
 Per omnium dextras petit.

Quid hoc ? repentè panditur
 Stellata cœli regia,
 Ad dexteram Patris videt
 Sublimè stantem Filium,
 Non deferis, dux, militem,
 Quem, Christe, spectans roboras?
 Stas arbiter certaminis,
 Futurus ipse præmium.

Deo mori sub iudice
 Pugnantis est victoria.
 Dum grando saxorum pluit;
 Nil sentit affixus polo.

Mens nempe largo vividæ
 Torrente lucis ebria,
 Nil corporis memor sui,
 Jam se Beatis inserit.

MIRIS probat sese modis
 Suos in hostes Caritas,
 Et blandiens & increpans,
 Amica semper Caritas.
 Qui stans perorabat sibi,
 Cadens & expirans humi,
 Linguâ diserti sanguinis,
 Suis perorat hostibus.

Audivit è cœlo Deus
 Suprema verba Martyris;
 Dux Saulus, & testis necis;
 Necis sit ipse præmium.

Fractis jacens cervicibus,
 Et sic perire lætior :
 O Christe , dixit , suscipe
 Quem pono pro te , spiritum.
 Tum blanda mors amabili
 Sopore clausit lumina ,
 Ad lucis æternæ jubar ,
 Exutus artus , evolat.

Servire mensis pauperum
 Id muneris quondam tui ;
 Conviva nunc dignus Deo
 Mensis supernis affides.

Tu nuptiali splendidus
 Tui cruoris purpurâ,
 Ad immolati transvolas
 Admissus Agni nuptias.

Quid non , Deus , si respicis ,
 Humana possunt pectora ?
 Cujus triumphum pangimus ,
 Fac nos & exemplum sequi.

XXVII. DECEMBRIS.

S. JOANNI APOSTOLO.

QUEM nox , quem tenebræ , densaque nubila
 Circumfusa tegunt lumine splendidum ,
 Imbelles oculos terrificis Deus
 Ne fulgoribus obruat.

O dilecte Deo , quam tibi clariùs ,
 Dum tu vivis adhuc , se dedit aspicì !
 Tu secreta Dei , mentis & intimæ
 Rimaris penetralia.

Ceu pennis aquilæ raptus in æthera
 Cœlum mente petis, sidera transvolas;
 (Nil obstant rutili fulgura luminis)

Nudo Numine pascaris.

Æterno genitum de Patre Filium,
 Demp̃tâ nube, vides, éque Deo Deum;
 Descendisse sacros de patrio sinu,

Castæ Virginis in sinus.

In nos hoc potuit tantus amor Dei!
 Terris ipse sui numinis immemor,
 Nobis factus homo; se facit exulem,

Ut cœlo trahat exules.

Per te sacra patent abdita vatibus;
 Quæ lux in tenebris fulgeat, indicas:

A quo vita fluit, principium petis,

Et primordia luminis.

Patri maxima laus, maxîma Filio,
 Amborumque sacro maxima Flamini;
 Hæc est certa fides, fontibus è tuis,

Quam divinitûs hausimus.

Tu, quem præ reliquis Christus amaverat,

O dulces hominis deliciæ Dei,

Curarum socius, funeris & comes,

Et testis quoque gloriæ:

Fortunate nimis, cui licitum fuit

Attrectare manu Verbum, hominem Deum,

Hunc audire, oculis cernere, mutuo

Quin & colloquio frui!

Hæc dos quanta fuit, cum tibi credidit

Sensus Christus amans pectoris intîmos,

Quando monte super, totus homo Deus

Se se numine velliit?

JESU tu placido dum recubas sinu,
 Potas plena Deo vivida flumina ;
 Illapsu tacito se propius tuis

Numen sensibus inserit.

Ex hoc fonte Deum plenius hauseras ;
 Corpus destituit mens velut ebria ;
 Dic , cum blanda quies lumina clauferit ,

Quæ coelestia videris.

O sacros aditus ! ô bene mutui
 Hac ignota tenus gaudia pectoris !
 Quæ non tela jacet divus Amor sacris

His fornacibus incubans !

Hinc tu semper amans , semper amabilis ;
 Hinc & frontis honos , virgineus pudor ,
 Hinc coeleste jubar , quod superos decet ,

Toto vertice funditur.

Hinc creber repetis ; creber idem sonas :
 Quidquid faris , Amor , sic amor imperat :
 Vix se se capiens æstuat , & suis

Pectus rumpitur ignibus.

Sit laus summa Patri , &c.

SIT qui ritè canat te modo Virginem ,
 Te scriptis celebrem dicat Apostolum ,
 Jungat veridicis te quoque Vatribus ,
 Christi te cano Martyrem.

Diri testis eras funeris , & comes ,
 Votis cum Domino fixus eras cruci ;
 Hoc tantum licuit tunc tibi , mutuis

Respondere doloribus.

Pendens funereâ Christus ab arbore
 Te , matri miseræ jam sine filio ,

Natum

Natum substituit ; credere Virginem

Quàm par est tibi Virgini !

Tali deposito quid pretiosius ?

Mater vera Dei jam tua dicitur ,

Natus jure pari dicere , mortui

Jacturam reparas Dei.

Christus vocis egens , te morientibus ;

Quà fas est , oculis Discipulum docet ;

Ex illâ cathedrâ quam cruor imbuir ,

Terris prædicat omnibus.

Christi fide comes , passibus æmulis ,

Quò te duxit amor , te liceat sequi ;

Ingens ille mihi sit favor , & pati

Cum Christo , simul & mori.

URBEM Romuleam quis furor incitat ?

Christi Discipulus Cæsare judice

Dammatus rapitur ; nil venerabilis

Frontis canities movet.

In servens olei conjicitur mare ,

Nil æstus nocuit , flamma sed hospiti

Parcit blanda suo ; ceu pugil ungitur ,

Hinc & fortior exilit.

Edicto steriles pulsus in insulas ,

Exul tunc socio perfruitur Deo :

Hic ventura videt , quæ calamo notans

Sublustrâ nebulâ tegit.

Sic nos Christus amet , sic doceat pati ,

Sacræ participes , & socii necis

Discamusque mori ; non aliis patet

Cælum conditionibus.

VIII. JANUARI.

SANCTO LUCIANO

BELLOVACORUM PRIMO EPISCOPO ,

ET MARTYRI.

Q UÆ dies terris tibi sacra , Martyr ,
 Hæc redit nobis quoque , LUCIANE ;
 Tu bonus nostros , tua nos propago ,

Excipe cantus.

Nostra gens per te modò Christiana

Se tibi debet , tibi cessit Error ;

Luce lustrasti populos sub altâ

Noctæ jacentes.

Dæmonum cultus , simulacra Divûm ,

Sacra cum fanis , & adhuc madentes

Sordido , vili pœudum cruore ,

Diruis aras.

Hic labor magnus ; sed enim feroces

Et reluctantes populos doceri ,

Et jugo Christi , tibi pœna major ,

Subdere gentes.

Impias mentes tenet obstinatus

Error , & densis fruitur tenebris :

Fers diem : vullis meliora spinis

Semina mandas.

Charitas urget ; malè contumaces

Increpas audax. Hominem , Deumque

Prædicas Christum , nece qui piavit.

Crimina mundi.

ET NOVI.

17

Hunc Deum , ligno Crucis in probro
Mortuum rident , resonare Christum
Non tamen cessas , cupidus vicissim
Fandere vitam.

Nuncius Christi rapitur sacerdos ,
Quosque laicali , prius expiatis
Tinxerat lymphâ , socius peremptos
Iunxit Olympo.

Laus tibi magni Dominator Orbis ,
Quos tu creasti , memor usque serva ,
Quem Fides Veri studiosa Trinum ,
Credit & Unum.

QUANTIS nostra fides emptâ laboribus !
Quam tot purpurei sanguine Martyres
Signatam , caleant ut sacra pectora ,
Transmisere nepotibus.

Hâc spiramus adhuc , vivimus hâc fide ;
Hinc spes certa venit , nascitur hinc salus.
Si non degeneres nos sequimur Patrem ,
Natis laus erit & Patri.

Ex hoc fonte sacro plenius hausimus :
Christi Religio moribus integra
Ad nos usque redit ; plena Deo fluit
His doctrina canalibus.

Æternum cita mors vivere Martyri
Dum spondet , properat Martyr ovans mori :
Palnam , dum moritur , consequitur sibi ;
Nos firmat , docet & mori.

Verus Pastor , oves sanguine quas tuo
Fecisti proprias , pascere bonus ; regas.
Et nos namque tui te sequimur Ducem ,
Duc in pingua pascua.

Patri maxima laus , maxima Filio ,
 Amborumque sacro maxima Flamini ,
 Qui dat Martyribus mille neces pati ,
 Et per funera vincere.

QUALIS vos sequitur gloria , Martyres !
 Dum vestros cineres plebs colit osculis ;
 Ultor nempe Deus pensat honoribus
 Summis , opprobrium necis.
 Quotquot Pontifices qui tibi Martyri
 Successêre , tuos ad cineres prius
 Quàm sacrata obeant munia , te vocant ,
 Flexi poplite supplices.
 Distans urbe procul sit tumultus licêt ,
 Nudo Pontifices hunc adeunt pede ,
 Ut quos Martyrio tu tibi vindicas ,
 Commissos populos regant.
 Huc de sede Petri , cum juvenum manu ,
 (Omnes Christiferi) venit Apostolus.
 Vestris hæc regio meta laboribus ,
 Fuso tinctâque sanguine.
 Constans hoc tumulo spirat adhuc Fides ;
 Ardens servet adhuc ignea Charitas :
 Si nos , fida parùm pectora , vivimus ,
 Vivos mortuus arguet.
 Fuso progeniti sanguine Martyris ,
 Nos , ô BELLOVACI , fundere sanguinem
 Si non , pace datâ , possumus , hunc juvet
 Saltem moribus assequi.
 Patri maxima laus , maxima Filio ,
 Amborumque sacro maxima Flamini ,
 Qui dat Martyribus mille neces pati ,
 Et per funera vincere.

XII. JANUARI.
 SANCTO PAULO
 PRIMO EREMITÆ.

QUAM pura, qui te diligunt,
 O Chrifte, libant gaudia!
 Te propter, antris abditos
 Sinu recondis in tuo.

Quid tu relictis urbibus;
 Altâ tot annos in specu,
 Quid, PAULE, sentis? quid vides?
 Solusque tecum cogitas?

Mentis volatu libero,
 Percurris aternas domos:
 Et quæ negas mortalibus;
 Transfers Deo commercia.

Præsens ætheris coelestibus;
 Sacro quietus otio,
 Totus tuendo Numini,
 Totus colendo tu vacas.

FRUSTRA lates, sub horrido
 Retectus antro jam pates:
 Monentis afflatu Dei,
 Senex adest Antonius.

Congressus ô qualis virum!
 Se mutuis amplexibus
 Ambo salutant, & Deum
 Anhela spirant pectora.

Qui corvus antè providus,
 PAULUM solebat pascere,

B iij

Duobus ille duplicem
 Delapsus annonam tulit,
 Nox sancta, divinis fuit
 Quæ consecrata laudibus !
 Nox, cujus umbras splendo
 Christus fugabat lumine.

Te mors precantem reperit,
 Nec ausa vultum supplicis
 Mutare, nec passas manus,
 Junxit precantem te, Deo.

O te beatum ! cui Dei
 Ubique cura consulit.
 Vixit dedit corvus cibum,
 Leo sepulcrum mortuo.

XVII. JANUARI.

DIVO ANTONIO.

HYMNUS.

Q UID novos soles, nova regna quaris,
 Prorsus ignoti novus Orbis hospes ?
 Plus facis, te te fugis, inquieti
 Transfuga mundi.

Hactenus nullo violata passu
 Primus, ANTONI, loca sola calcas;
 Et viam pandis; pia te gementum
 Castra sequentur.

Alter ut Moses fugiens tyrannum:
 Tu sacra gentis pater atque custos,
 Dux iter rumpis, cupidus beatas
 Visere terras.

Vasta decrescent loca tot colonis.
 Huc suo curret viduata cive

Omnis Ægyptus ; tua solitudo
 Surget in urbes.
 Quot Deo dignos inarata fructus
 Jam dabit tellus ? lacrymæ rigabunt,
 Rosque cœlestis pluet in feraces
 Prodigus agros.
 Se tibi subdent dociles magistro
 Quotquot urgebit pietatis ardor.
 Quàm tuis longè potiora dictis
 Facta docebunt !
 Fac ut æternæ studio salutis ;
 CHRISTE , clamosas fugiamus urbes ;
 Et tibi soli placidâ vacemus
 Mentis in arce.

VERBA , quæ sacro semel ore Christus
 Protulit , nobis vel adiuc docentem
 Exhibent Christum , propiore verba
 Numine plena.
 Ut tuum primò subièrè pectus ,
 Te bonis ultrò spoliàs paternis.
 Vendito fundo Deus ipse dives
 Fit tibi fundus.
 Urbis infano procul à tumultu ,
 Quæris obscuras sine sole sedes ;
 Ut mori discas , habitas sepulcra ,
 Penè sepultus.
 Quæ diu clausos putribus sepulcris ,
 Lege sub durâ fera Mors tenebat ,
 Te suum credit , sedet ore toto
 Mortis imago.
 Hic cibo corpus crucians negato
 Protrahis mortem ; melior beata

Fit cibus menti Deus , hoc abundè

Pasceris uno.

Nil Deum præter videt , in profundâ

Nocte contemplans jubar increata

Lucis æternum , moritura non fert

Lumina Solis.

Quid redis , inquit ? toties renascens

Sol , inexhaustum sine me tueri

Luminis fontem , mea quid molestus

Gaudia turbas ?

Cui sapit Christus , peritura vani

Cuncta vilescunt simulacra mundi.

More torrentis fugitivus illi

Præterit Orbis.

FAS , suâ Christus necesse quos sacravit ,

Et Deo factos aperire libros ,

Lex ubi latè data Christiano

Scribitur Orbi.

Hanc tuo firmas , Pater alme , legem

Primus exemplo ; grave quidquid illa ,

Asperum quidquid jubet , obsequendo

Fidus adimplet.

Non levi chartâ , solido nec ære

Lex Dei tantum patet exarata ;

In tuo longum moriente scripta

Corpore vivit.

Prædicat Christum tua solitudo ;

Prædicat vilis tuus ille victus ,

Dura paupertas , labor , hirta vestis ,

Cruxque supellex.

O mihi semper veneranda vestis !

Purpuram Regum pretiosa vincit.

Omnis ANTONI rediviva virtus

Spirat in illâ.

Si tremens Pauli senis ad cavernam

Integer flebas , tibi visus ipsi

Jam minor ; quales lacrymæ piabunt

Crimine scædos !

Ipsæ præcepto Deus intonante

Nos mori semper jubet ante mortem ;

Per cruces duras emimus , per ipsa

Damna salutem.

QUI Deum semper meditatur altâ

Mente , coelestem patriam salutat ,

Et domos sanctas adit , atque votis

Præripit altra.

Sic petis cœlum , neque corpus obstat ,

Arduas sedes rapido volatu

Scandis , ANTONI , novus ante tempus

Hospes Olympi.

Ut nitens plumis sine labe puris ,

-Ne sui perdat labe quid nitoris ,

Transvolat nubes , humilesque terras

Deserit ales.

Ceû tibi totus periisset Orbis ,

Nil vides cæcus , neque surdus audis ;

Ipsa formidant simulacra rerum

Lædere mentem.

Laus Patri , Nato , tibi laus suprema ,

Spiritus compar utriusque nexus ,

Cujus impulsu petit profundam

Christus eremum.

PROXIMUS coelo , super astra vectus
 Quam sitis , puro bibis ore lucem ,
 Nil tibi tellus ; tua cura soli

Vivere Christo.

Nam tuum corpus domitum tot annos
 Vix tuum credis : tua mens subactis
 Sensibus regnat , positusque terris
 Non homo vivis.

Invident , quærunt , dubitant , premuntur
 Spiritus spurci , dolor urit intus.

Quis novus terris homo jam supernâ
 Luce beatus ?

Omnis infrendens Erebi potestas
 Sævit in sacrum caput , ille contra
 Solus effrænes stygiæ cohortis
 Despicit iras.

Dic quibus telis pugilem , quibusve
 Oblident armis ? ferus urget hostis.
 Castra sic urbem glomerata denso
 Milite cingunt.

Ille rugitu rabidam leonis,
 Exerens ungues , imitatur iram ;
 Alter assumit malè blandientis

Ora puellæ.

Mille mendaces , fata nocte monstra
 Induunt formas , crucis ista signo
 Turba vanescit ; manet impotentis
 Victor Averni.

Tanta majestas fugat , urget hostes ,
 Nec dolo Virtus , neque cedit armis ;
 O malas artes ! modò quis laceffat
 Numine sanctum ?

Ecce qui Christo duce militamus,
 Frangimur blando nimis hoste victi.
 Ad leves pugnas trepidamus, ultrò
 Ponimus arma.

CELATA virtus quæ modò prodita ?

Quæ fama gentes portat in ultimas
 Ingentis ANTONI verendum
 Principibus, populisque nomen ?

A te vel ipsi præsidium petunt,
 Et sceptrâ ponunt, ac diademata
 Reges superbi tot triumphis;
 Moxque tuâ pietate victi.

Natura cedit, paret ut imperas;
 Ponunt furorem jam dociles feræ;
 Jussæque morborum cohortes
 Corporibus fugiunt ab ægris.

Deserta linqvis; Quò properas, Pater!
 Ardes, anhelas, martyrium sitis,
 Urges tyrannos: provocanti.
 Sacrilegus tibi parcit ensis.

Furens cruentis cædibus Hæresis
 Te fulminantem vidit, & horrui;
 Suam petivit, tam potenti
 Voce Senis tremefacta, nostem.

Si tanta terris, quid facies modò
 Astris receptus! plaudite, plaudite,
 O quæ potiris, ter beata,
 Corporis exuviis, VIENNA!

Huc totus Orbis confluit, & tuas
 Aras coronant munera Principum.
 Pronique Reges osculantur
 Prodigii cineres verendos.

Bvj

EODEM DIE XVII. JANUARIIL.

DIVO SULPITIO

BITURICENSI EPISCOPO.

Q uos Deus ponit populis regendis,
 Præfules format prius, atque fingit,
 Ne parum casti veneranda tractent
 Sacra Ministri.

Non fâvor Regum, neque te tumultus
 Plebis insanæ, tua sed tot annos
 Nota, SULPITI, pietas ad altos
 Vexit honores.

Vel puer Christo caput immolare
 Totus ardebas; deerant tyranni,
 Pro Dei causâ facilem paratus
 Fundere vitam!

Hauferas, sacros meditando libros;
 Magna coelestis documenta vitæ;
 Hinc inardescunt calefacta puris
 Pectora flammis.

Blandior quidquid malè suadet ætas,
 Frænat austeræ pietatis ardor;
 Integrum pectus violare nunquam
 Ausa voluptas,

Sub iugo sensus subigis severo;
 Sola mens regnat sociumque pœnis
 Edomat corpus, domitoque vires
 Sumit ab hoste.

Christe, qui nobis, Patre sic iubente,
 Pontifex factus, tibi laus, tuoque
 Una sit Patri, sit & una sancto
 Semper Amori.

U^T puer crevit, simul aucta virtus
In dies se se magis exerebat.

Ante maturos pietas adulta

Venerat annos.

In Dei cultum sacra templa ponit,
Quot situ lapsæ, reparat tot aras,
Fundat & cunctis patefacta morbis.

Hospita testæ.

Possidet fundo quot opes avito,
Non suas dicit, sibi vindicare
Pauperes credit, quasi commodari

Prodigus auri.

Carceres pandit, pretio nocentes
Eximit vinclis, aliena solvit
Æra, nil debens, nisi caritati,

Quæ magis urget.

Hoc rudimentum fuerit juventæ,
Ille, quo primos recreabat annos,
Lanœens ludus, miseros levasse

Sola voluptas.

Invidet dæmon; vèteres ad aras
Turbat orantem, quatit alta testæ.
Ad crucis signum fugit, & relictis

Exultat aris.

Christe, qui nobis, Patre sic jubente,
Pontifex factus, tibi laus, tuoque
Una sit Patri, sit & una sancto

Semper Amori.

TEMPLA te poscunt : rogat ecce Præsul ,

In sui partem venias laboris ;

Ferre nunc discas tibi destinatæ

Pondera mitræ.

Debitus cunctis raperis sacerdos ,

Te suum cives repetunt , suumque

Pontifex dicit , sibi Rex , sibi que

Castra repossunt.

Aulicos inter pius , inter arma

Integros servas sine labe mores ;

Dum tenax recti manet una semper

Regula vitæ.

Efficax tristes removère morbos ,

Et potens duræ dare jura morti ;

Ambulat claudus , loquiturque mutus ,

Surdus & audit.

Principis morbum licet obstinatum ,

Tu Fide vincis magis obstinatâ ;

Hoc Fides præstat tuâ : non , inanis

Turba medentium.

Flamma , quæ vastas populatur urbes ,

Ad tuos nutus stetit , imperantem

Non semel sensit , patiensque vinci

Iussa refedit.

Christe , qui nobis , Patre sic jubente ,

Pontifex factus ; tibi laus , tuoque

Una sit Patri , sit & una sancto.

Semper Amori.

EXCUBANT frustra, neque civitatear
Militum servant vigiles catervæ;
Ni Deus custos speculâ gubernans
Servet ab altâ.

Principes effert caput inter urbes,
Et suum jaçtat BITURIX alumnum,
Cujus ad festum sonat urbs, & omnis
Regia coeli.

Empta non venit tibi, sancte Præsul;
Dignitas auro; fugis, & mereris.
Impius frustra pretio sacratos
Ambit honores.

Jam gregis notus bonus ille Pastor,
Grexque Pastori; vigil excubabit,
Credito ne quid rabie luporum
De grege perdat.

Quos docet nondum stabiles alumnos;
Firmat exemplis, animatque factis:
Monstrat, accensâ face, quæ tenenda
Sit via coelo.

Quotquot Hebræos, tibi, Christe, subdit;
Ronte lustrali simul abluebat;
Lenitas morum dociles trahebat,
Candida mentes.

Sub novo censu populum gementem;
Ad Deum fusâ prece, liberavit.
Terruit Regem, propè jam ruenti
Nūminis irâ.

Christe, qui nobis, Patre sic jubente;
Pontifex factus, tibi laus, tuoque,
Una sit Patri, sit & una sancto
Semper Amori.

AD SANCTAS
RELIQUIAS SACRI BRACHII
 D. S U L P I T I I.

QUI nunc templa tenes , maxime Pontifex ;

Cœlo non hominum quæ posuit manus ;

Adsis , nec pigeat quæ tibi ponimus

Terris , templa revisere.

His aris colitur maxima pars tui ,

Cui figit pia plebs oscula , Brachii ,

Quo tot prodigiis post tua funera

Præsens te Deus approbat.

Hic , quot passa hominum millia Brachio !

Quot lustrata sacris fontibus ! hanc manu

Sparxisti quot opes ! quot redimens reos ,

Rupisti fera vincula !

Non hic Artificum suspicitur labor ,

Ars præclara sacris cedit honoribus ;

Hic gemmas hebetat , tam venerabilis

Ingens gloria Brachii.

QUOT circumpositæ lampades ambiunt ,

Tot sunt quo frueris , pignora luminis ;

Cœlo quæ maneat gloria cœlites ,

Et terris quis honos , monent.

Qui gens sancta sumus , nos decet omnibus ,

Christo libera mens ut vacet , exui.

Et suis operibus pauperis in sinum ,

Duram pauperiem pati.

Si nos te colimus , si datur assequi

Quod-tu-cumque jubes , qui sequimur , tuâ

Si das ire viâ , quàm melius , pie
 Præsul , te celebrabimus !
 Patri maxima laus , maxima Filio ,
 Amborumque , tibi maxima , Spiritus :
 Ungis Pontifices , quos legis , & tuo
 Intus numine consecras.

XVIII. JANUARI.

IN CATHEDRA SANCTI PETRI.

QUALIS pôtestas , PETRE , quis terris honos ,
 Cui jura Christus ipse concessit sua ?
 Quidquid ligabis , quidquid & solves solo ,
 Hoc & ligabit , solvet & polo Deus.

Tui probato cordis affectu , suum
 Pastor supremus credidit tibi gregem :
 Serva , tuère , pascere nos , Pastor bone ,
 Illius & nos , PETRE , pars gregis sumus.

APATRE Christus quod sibi jus traditum ,
 Tibi reliquit , astra dum victor redit :
 Quibus ligamur , solve vincla criminum
 Datis reclude clavibus coeli fores.

Patri supremo sit suprema gloria ,
 Tibique laudes totus orbis concinat ,
 Æterne Fili , splendor æterni Patris ;
 Compar sit almo laus decusque Flamini.



XXI. JANUARI.
 SANCTÆ AGNETI
 VIRGINI ET MARTYRI.

O FLOS, decusque Virginum,
 Virgo tenella, quò ruis?
 Hæc unde lucis tædia?
 Vix nata festinas mori.

Tu nampe casti percita
 Ardes amoris ignibus:
 Et te per enses, per rogos;
 Hic ardor ad sponsum rapit.

Exosa mortales thoros,
 Uni Deo te consecras;
 Qui te sibi junxit prior;
 Sponsam sibi te vindicat.

Nil forma, nil clarum genus;
 Nil fulgor auri te movet,
 Est sponsus electus tibi,
 Qui cuncta nutu temperat.

Hic Sole puro purior,
 Cujus manet Virgo parens;
 Suas vicissim qui facit
 Amando sponfas, Virgines.

Audax tuo periculo
 Virgo tyrannum territas:
 Tortoris ora pallida
 Vides, & imbelles manus!

Virile pectus induis
 Sexu tuo jam fortior:
 O Virgo, quæ gaudes pati;
 Segnes viros nos increpas.

Posthac Voluptas blandiens

Sacrata frangat pectora!

Judex Deus nos desides

Damnaret hac in Virgine.

Æterne sponse Virginum,

JESU, tibi sit gloria,

Cum Patre & almo Spiritu,

In sempiterna secula.

XXII. JANUARI.

PRO SANCTO VINCENTIO

DIACONO ET MARTYRE.

ADESTE Christi milites,

Invieta pœnis pectora,

Hunc tympanis, hunc & tubis,

Christi sonate militem.

Dei pugil VINCENTIUS

Tormenta quæ non pertulit?

Per mille mortes multiplex

Oblata Christo victima.

Duris ligatur funibus;

Corpus rotis protenditur;

Secant adunci pectines:

Vivôque dant longum mori.

Compagne ruptâ corporis,

Divulsus à se frangitur;

In crate tensus ferreâ

Lentis crematur ignibus.

Ut se sub imis acrius

Dolor medullis inferat,

Et nudus & corpus lacer

Per aspra saxa volvitur.

Tormenta cedunt Martyri,
 Dum nescit illis cedere:
 Ipsique vel torquentibus
 Tortus triumphat fortior.
 Sic, Christe, robur Martyrum;
 Certare das, das vincere,
 Quos dum coronas, tu tua
 Æquus coronas munera.

TYRANNE quid molli jubes
 Lecto cubare Martyrem?
 Ut nempe succedant nova;
 Tu prima sanas vulnera.
 Te fallit insanus furor;
 Rupto soluta corpore
 Mens astra dum petit, tuos
 Secura jam ridet dolos.
 Tibi relictum sævias
 In corpus, ultra nil potes:
 Occulta quæ texit manus
 Vivunt, tuetur mortuum.
 Frustrà marinis fluctibus
 Sacrum cadaver mergitur;
 Se læta sternunt æquora,
 Parcunt verendo pignori.
 Sibi cadaver sit ratis;
 Deo regente fluctuat:
 Pulsante blando spiritu
 Optata tangit littora.
 Feris datum voracibus;
 Corvus dapis jam non memor;
 Satelles uncis unguibus
 Passis & alis protegit.

Æterne tu Verbi Pater ,
 Æterne Fili par Patri ,
 Et par utrique , Spiritus ,
 Tibi , Deus , sit gloria.

XXV. JANUARI.
 IN CONVERSIONE S. PAULI.

SAULE , tendis quos in hostes ,
 Quo furore percitus ?
 Immolare quid tot ardes
 Innocentes victimas ?
 Insequendo quem laceffis ,
 Senties mox vindicem.

Christus instat ; impotentem
 Cæcat , urget , dejicit.
 Ille cedit imperanti ,
 Seque totum subjicit :
 Insecutor ante Christi ,
 Præco Christum personat.

Antè plenus qui minarum
 Præparabat vincula.
 Nunc tremens , nec jam rebellis
 Per manus deducitur.
 Qui lupus rapax furebat
 Nunc in agnum vertitur.

Dura , Christe , quàm potenti
 Corda versas dexterâ !
 Qui tuam delere nomen
 Vult tuorum sanguine ,
 Universum mox per orbem
 Ipse clarabit suo.

HYMNI SACRI

Sit suprema laus Parenti,
 Qui creavit omnia;
 Filióque, qui redemit
 Morte nos volens suá:
 Par & illi, cujus almo
 Recreamur halitu.

XXIX. JANUARI.
 IN S. FRANCISCUM
 SALESIUM.

QUIS sacros vultu jaculatus ignes
 Fertur aurato super astra curru?
 Mille Virtutes comitantur, addunt
 Seque triumpho.

Pontifex terris rapitur SALESUS;
 Festa dum coeli fremunt aula plausu,
 Nos simul junctis celebremus hymnis
 Astra petentem.

Non abit totus, sua post superstes
 Fata, se natis pater ecce reddit;
 Nos adhuc scriptis docet, & magister
 Fingit alumnos.

Insidens castis Amor in libellis,
 Igneis figit pia corda telis;
 Hic Dei purum bibit ore puro
 Lector amorem.

Gliscit in mentem meditantis, illa
 Quæ beat Divos, eadem voluptas;
 Hinc inardescunt liquefacta blandis
 Pectora flammis.

Dum vias pandit faciles Olympo,
 Perque monstratos docet ire calles:

Ni memor serves, tibi quos notavit,
Deius ibis.

Dux viæ, quem nos sequimur volentes,
Ire det tuto pede, quò prævit;
Sic erit semper bene fida proles
Juncta parenti.

Summa laus Patri, simul æqua Nato,
Et tibi compar, utriusque vinculum,
Spiritus, custos, & origo, sancti
Fons & amoris.

O GENEVENSES nimis obstinati,
Tandiu noctis gemitis sub umbrâ!
En novum Solis jubar; atra cedit
Umbra diei.

Pallidæ Pestes, Ereboque nata
Hujus adventum tremuere monstra;
Conscius se se specubus profundis
Abdidit Error.

Advolat sacris pins ultor armis,
Per nives altas, per acuta saxa,
Quà potest gressu, manibusque reptans
In via transit.

Magna dant magnos animos pericla:
Cui fument omnes, sibi nil timebat:
Charitas nullos renuebat audax
Ferre labores.

Vicit horrorem pietas, & ultrò
Saxa subsidunt, elementa parent,
Unda duratur, stupefactus amnis
Portat euntem.

Quot rudes lustrans populos docebat?
Quot solo versas reparabat aras?

Et craces, dira quibus expiabat
Crimina terræ?

Ut seges Christi rediviva crescat,
Advocat fidos operum ministros:
Et fovet plantas, nova Christianæ
Semina messis.

Pro suo pastor grege quàm lubenter
Poneret vitam! modò grex ovili
Redditus, flatu stygis inquinata
Linqueret arva.

Hâc, Deum spirans, cupidus perire;
Mente crudeles populos adibit;
Excidet votis; fera parceret agno
Ira luporum.

Quo tuum terris, Pater, æstuabat;
Igne, fac nostrum quoque pectus uri.
Et nihil quærat, nihil atque spiret,
Præter amorem.

NON amat semper nemorem recessu
Civium coetus neque semper horret;
Nec timet lucem Pietas, fugit-ve
Limina Regum.

Thebais sanctos tulit & tulere,
Roma quos templis veneratur, urbes;
Nostra non prisco bene cedat ætas
Degener ævo.

Ille nil labis trahit è maligno
Urbis afflatu; pudor hunc tuetur:
Moribus castis, etiam filendo,
Arguit aulam.

Fronte non asper, facilis, benignus;
Voce non solâ docet: ipsa vultus.

Blanda

Blanda Majestas pietatis alnum

Afflat amorem.

Pulchra mellito fuit ore virtus,
Cujus ad fulgur scelus intremiscit,
Nec valet tanti sacra sustinere

Judicis ora.

Hujus ad vocem furor arma ponit,
Hujus ad vocem patiens doceri,
Pertinax Error cadit, & magistro
Cedit Amori.

ONOVAS tantæ pietatis artes!
Ut trahat Christo, subigatque corda,
Sponte demissâ gravitate se se
Omnibus aptat.

Inde quot fusi pedibus nocentes,
Et graves fletu veniam petebant!
Detegunt ulcus putre, quod medullis
Sederat altis,

Quas relaxabat sceleri, subibat
Innocens pœnas; aliena culpa
Hunc reum fecit, piat acta largo
Non sua fletu.

Tanta si gessit recinente famâ,
Quanta celavit sibi testis uni!
Quis tot occultas referet sub alto
Pectore dotes?

Ne quid amittat meriti, dolosâ
Laude deceptus, benefacta celat;
Tuta se condit placido sub ore
Aspera virtus.

Sat datum terris; tua nunc Olympo
Te gravem Virtus meritis reposcit,

C

HYMNI SACRI

Te brevi morbo rapuere cives
Ætheris alti.

Qui siti longâ cupide pettum ,
Nunc inexhausto bibis ore numen :
Pura coelestis tua da sitire
Gaudia vitæ.

Nec tuæ prolis tibi cura cedat ,
Ut gubernasti pater , hanc gubernes :
De tuis largas bibat , ut bibisti ,
Fontibus undas.

AFFECTUS

*Saleſii juvenis anxio æterni exitus
metu cruciati.*

Q U I D tuam turbat faciem , SALESI ?
Unde tam tristi sedet ore pallor ?
Te Deus terret , tibi terror ille ,
Causa salutis.

Noctis æternæ meditatus ignes ,
Te reservatum malè credis Orco :
Dira fors mentem redimenda nullis
Fletibus angit.

Ergo damnatus Styge , tam benigni
Numinis purum jubar intueri ,
Nec choris , inquis , potero supernis
Jungere voces.

Christe , dum spiro , tamen ista lingua
Te canet semper , brevioris ævi
Damna pensabit magis æstuant
Pectus amore.

ET NOVI.

Sic amor, vanos abigit timores,
Jamque securus dubiæ salutis;
Lætus infernos meliore flammâ

Obruit ignes.

Morte ne functi subeamus atræ
Regna, viventes penetremus ultrâ;
Territent fontes patefacta diris

Tartara pœnis.

Summa laus Patri, simul æqua Nato;
Et tibi compar, utriusque vinclum,
Spiritus, custos, & origo, sancti
Fons & amoris.

VIRGINIBUS A VISITATIONE DICTIS,

CHRISTE, lex vitæ nova sanctioris,

An jubes, qui te sequimur, profundis

Nos tegi sylvis; & inhospitales

Quærere terras?

Charitas non sic fugit, illa magnis

Spontè se prodit manifesta signis.

Et manu largâ benefacta spargens

Ambulat urbes.

Sublevat duros miserata casus;

Profit ut cunctis, sua, seque tradit.

Fit sibi pauper proprioque fundo

Dives egenis.

Ornibus lenis, sibi dura soli,

Exuit mores nimium severos;

Seque non semper tegit illa vili

Horrida sacco.

Cij

HYMNI SACRI

Hujus ornatus pudor , omnis unde
 Virginum splendor venit , & venustas.
 Indicat se se , legiturque vultu ,
 Pectoris hospes.

Nulla lex illi , nisi lex amoris ,
 Scripta quæ cordis magis hæret alto ;
 Exili nostri , patriæque sanctæ
 Una voluptas.

Asperum vitæ genus , & labores
 Fortè si mulcet , meliora suadet.
 Corporis poenas amor unus omnes
 Supplet , & æquat.

Sic Deo sacras sociat sub uno
 Virgines testæ , pius institutor ;
 Et suos mores docet , atque sanctis
 Traditæ alumni.

Fac , Deus , sancti-precibus *SALESI* ;
 Exequi quod te duce , te magistro ;
 Præcipit nobis ; quibus & flagrabat
 Injice flammæ.

II. FEBRUARII.

DE OBLATIONE

CHRISTI IN TEMPLO

SEU PURIFICATIONE B. MARIE VIRGINIS.

STUPETE gentes : fit Deus hostia ,
 Se sponte legi legifer obligat ;
 Orbis Redemptor nunc redemptus ;
 Sequæ piat sine labe mater.

De more matrum , virgo puerpera
 Templo statutos abstulit dies :

Intrare sanctum quid pavebas,

Facta Dei prius ipsa templum?

Arâ sub unâ se vovet hostia

Triplex ; honorem virgineum immolat

Virgo sacerdos , parva mollis

Membra puer , seniorque vitam.

Eheu ! quot enses transadigent tuum

Pectus ! quot altis nata doloribus ,

O Virgo ! quem gestas in ulnis ,

Imbuet hic sacer Agnus aram.

Christus futuro , corpus adhuc tener ,

Præhudit infans victima funeri :

Crescet ; profuso vir cruore

Omne scelus moriens piabit.

Sit summa Patri , summaque Filio ,

Sit summa sancto gloria Flamini :

Magistra quem trinum docendo ,

Vera fides veneratur unum.

TEMPLI sacratas pande , Sion , fores ,

Christus sacerdos intrat & hostia :

Cedant inanes Veritati ,

Quæ se animis aperit , Figure.

Non immolandi jam pecudum greges ,

Fumabit ater non cruor amplius :

En ipse placando parenti

Ipse suis Deus astat aris.

Virgo latentis conscia numinis ,

Demissa vultus , quem peperit Deum ;

Gestabat ulnis , pauperumque

Munera fert , teneras volucres.

Hic omnis ætas , omnis & altit

Sexus , propinquo numine plenior :

C iiij

HYMNI SACRI

Christum anhelantis tot annos
 Nunc fidei pretium reportant.
 Testes tot inter, magnanimo, Deus,
 Tibi litabat fida silentio,
 Verbi silentis muta mater;
 Quanta animo reticebat alto!
 Sit summa Patri, summaque Filio,
 Sit summa sancto gloria Flamini:
 Magistra quem trinum docendo,
 Vera fides veneratur unum.

FUMANT Sabæis templa vaporibus;
 Nos sacra poscunt; jam præit hostia;
 Sequamur omnes, & lubente
 Puri animo simul immolemur.
 Lumen ministret splendidior Fides;
 Ministret ignes flammea Charitas;
 Spes thura, nec desint odores
 Quos operum bona fama fundat.
 Vitæ nocentis quid trahimus moras?
 Sit fas beato sub Sene nos mori;
 Ut quem sub aris immolatum
 Vidimus, hoc etiam fruamur.
 Sit summa Patri, summaque Filio,
 Sit summa sancto gloria Flamini:
 Magistra quem trinum docendo,
 Vera fides veneratur unum.



VI. FEBRUARII.
SANCTO VEDASTO
 EPISCOPO ATTREBATENSI.

CUI Deus crescit , peritura vani
 Cuncta decrescunt simulacra mundi,
 More torrentis fugitivus illi
 Præterit Orbis.
 Nil domûs splendor , nec opes avitæ ;
 Blanda nec flexit juvenem voluptas ;
 Quos Fides monstrat superos **VEDASTUS**
 Ambit honores.
 Ne quid in dulci Patriâ retardet ,
 Et suos inter , nimis Aula mentem
 Blandiens frangat , fugit in remotas
 Providus oras.
 Quàm salutaris fuga ! quàm profundo
 Jussa decreto ! reget ille Reges ,
 Et Jugo Christi fera corda subdi
 Nescia subdet.
 Summa laus Patri , genitôque Verbo ;
 Er tibi compar , utriusque nexus ,
 Qui Sacerdotes Deus intus ungis ,
 Spiritus alme.

QUI fugit longè patriâ relicta ,
 Seculi pompam malè blandientem ,
 Hic sacris Reges monitis , & omnem
 Imbuet aulam.
 Ut redit victor spoliis superbus
 Post triumphatas **CLODOVÆUS** urbes:

Civ.

Iam Deo victus , prope noster , ardet
Ritè doceri.

Primus occurris , tua fama pròdit ,
Hoc pium munus tibi destinatur.
Jura qui nuper dabat Imperator ,
Ipse subibit.

Regium pectus tumidum triumpho ,
Gaudet irritæ Crucis in trophæo.
Arma deponit novus ille Christi
Miles ab hoste,

Quis tibi sensus fuit , ô VEDASTE ?
Dum fugis Reges cupidus latere ,
Te vocant Reges , cupiunt doceri
Teque Magistro.

Dum petit Rhemos , per iter docebas ;
A tuo Princeps pius ore pendet ,
Instar Eunuchi docilis , fuisti
Tuque Philippus.

Signa non verbis manifesta defunt.
Nam diem cæco dedit ut videret ,
Principis cæci tenebras superno
Lumine pellit.

Rex novus velis penitus remotis ,
Solis æterni jubar intuetur.
Atra nox cedit , procul obstinatus
Exulat error.

Q UAM Deo gratus , procul à tumultu
Qui , sibi quando vacat , & salutis :
Pontifex curas , sibi raptus ipsi ,
Sustinet omnes.

Intrat hanc Urbem tenebris sepultam ,
Belluas audit rabie frementes

Civitas omnis, velut alta sylva

Horrida dumis.

Prisca divini monumenta cultus

Barbaræ gentes tulerant; VEDASTUS

Vana subvertit simulacra, Divum

Diruit aras.

Redditur cæco sua lux, & auris

Redditur furdo: sua lingua muto;

Impari qui vix pede claudus ibat,

Ambulat æquo.

Luce cœlesti melius fugabat

Mentibus noctem, simul ora muta,

Et Deo surdas referabat aures:

Omnia quanta!

Civium terror, ferus hospes Urbis,

Ursus immani latitabat antro:

Imperas Præsul, tremit imperantis

Bellua vocem.

E specu flecti docilis profundo

Exit oblitus feritatis ursus,

Gestiant cives, sonat urbs recenti

Læta triumpho.

Præsulis faustum fuit illud omen;

Efferas mentes malus occuparat

Dæmon, ut cedat jubet, effici

Voce fugatur.

Regis accumbens epulis VEDASTUS

Fregit impresso Crucis illa signo

Vasa Fanorum, quibus est litatum;

Impia vasa.

Tota Gens, Præsul, modo Christiana,

Se tibi debet; Fidei jacentis

Prisca cœlesti rediviva rore

Semina surgant.

Cv

CHRISTO PATIENTI.

HYMNUS.

Fas, Christe, moestis plangere
 Tuos dolores cantibus,
 Quos vitæ ab ipso limine
 Ad usque mortem passus es.

Castæ parentis in sinu
 Inclusus ardebas pati,
 Æternus ut discas mori,
 Mortale corpus induis.

Vix natus imbellis puer
 Acuta sentis frigora;
 En vile pro molli thoro
 Fœnum tibi supponitur.

Amore te facis reum,
 Fers sponte pœnas innocens;
 Nec eximis te legibus,
 Supremus ipse Legifer.

Qui primus excisâ cruor
 Ex parte stillat corporis,
 Menbris micans ex omnibus
 Torrentis in lar, proruat.

Qui mucro lactantes necat,
 Idem tu in pectus fodit;
 Et quo cadebant parvuli,
 Hoc tu cadebas vulnere.

Exul Deus, promptâ fugâ
 Tux salutis consulis.
 Intrat Pharo, verax Deus
 Mixtus Diis mendacibus.

Qui nos creavit , laus Patri ;
 Qui nos redemit , Filio ;
 Qui nos foves , laus , Spiritus ;
 Uni Deo sit gloria.

DIVINE crescebas puer ,
 Crescendo discebas pati ,
 Hæc destinatæ tunc erant
 Mortis tuæ præludia.

Status Deo , volens tegi ,
 Elegit obscurum Patrem ;
 Qui fecit æternas domos ,
 Domo latet sub paupere.

Tremenda cujus præpetes
 Mandata portant Spiritus ;
 Cui pronus orbis subditur ,
 Se sponte fabro subjicit.

Coelum manus quæ sustinent ,
 Fabrile contrectant opus ;
 Supremus astrorum faber
 Fit ipse vilis artifex.

CHRISTUS tenebris oblitam
 Lustrando Judæam docet ;
 Gens obstinato pectore
 Christum docentem respuit.

Se se Deum signis probat ,
 Surgunt sepulcris corpora ,
 Erepta muto vox. redit ,
 Claudio gradus , cæco dies.

Gens dura , flecti nescia ,
 Aures sacris sermonibus

Cvj

Obturat , & Solem fugit ,
Amore noctis perdita.

Mox immerentem , ceu reum ,
Probris gravant , saxis petunt ,
Illum pudendo destinant
Ingrata turba funeri.

PAVE TE , raptus ad necem
Homo velut , pavet Deus ,
Toto cruor de corpore
Proruptus in terram cadit.

Quid machinaris proditor ?
Qui te bonus pavit suo
Conviva Christus corpore ,
Mendace tradis osculo.

Qui nostra rupit vincula ,
Duris ligatur vinculis ;
Divis adorandum caput
Miles scelestus percutit.

Orbis supremus arbiter
Dijudicandus sistitur ,
Summus Sacerdos , impiâ
Cadit sacerdotum manu.

Ah ! parce corpus innocens ,
Lictor , flagellis scindere.
Quid vulnus addis vulneri ?
Jam penè totum vulnus est.

Nudantur ossa carnibus ,
Scissos per artus it cruor ;
Non sanguis uvæ sic fluit
Quam dura vis preli domat.

Frons pro coronâ regiâ
 Horret sub aspris vepribus :
 Hæc illa , crudelis Sion ,
 Quæ ferta nectis Principi ?
 Arundo pro sceptro datur :
 Durusque pro throno lapis ,
 Quem vestit æternum jubar ,
 Ridenda vestit purpura.
 Quæ non tulit ludibria !
 Reo Deus postponitur ;
 Qui sceptrâ regum dividit ,
 Ut scenicus Rex luditur.

Quid forma cessit par Deo ?
 Non vultus idem , non decor ,
 Atro fluentem sanguine ,
 Et ora scædum vidimus.
 Quæ solis obscurant jubar ,
 Velo teguntur lumina ?
 Sputis honestum putribus
 Os turba scædat insolens.
 Crucis tremens sub pondere
 Gressus labantes vix trahit ;
 Quem stipat aula Cœlitum ,
 Datur comes latronibus.
 Qui vestit arva floribus ,
 Nudus cruci suspenditur ;
 Qui dat feris cubilia ,
 Ubi quiescat , non habet.
 Clavis manus , clavis pedes
 Confossus hæret stipiti.
 Sed quàm sui tenaciùs
 Amoris hæret vinculis ?

Quæ dedocendo crimina
 Monstrabat ad cœlum viam ;
 Quæ lingua melle fluxerat ,
 Infecta felle tingitur.

Ne quæ vacaret corporis
 Intacta pars doloribus ,
 Proterva verba militum
 Aures pudicas vulnerant,
 Qui rupe fontes elicit ,
 Ardens siti consumitur.
 Sed major urebat sitis ;
 Erat sitis , mundi salus.

Vel cujus attactu fugit
 Nil ausa Morborum cohors ;
 Ad militis ludibrium
 Hæc vestis in sortem datur ;
 Recede , Virgo , filii
 Tu funus extendis parens :
 Adstans nescis quàm tuis
 Natum necas doloribus !

Clamore magno dum Patrem
 Sibi relictus invocat ,
 Cum morte luctantem Deum
 Non audit ille ; vix Pater.

Sit hæc dolorum pars levis ;
 Acerbiora pertulit ,
 Dum mente prælagâ videt ,
 Inane mortis præmium.

Fac , Christe , ne sint irrita
 Tormenta , quæ perpeffus es ,
 Ne morte contemptâ Dei
 Te sentiamus vindicem.

VIII. MARTII.
SANTO JOANNI
DE DEO.

PRINCIPES cœli sedet inter altos,
Splendido lucis rutilans amictu ;
Vilis & pampus modò quem tegebat,
Gloria vestit.

Additæ cello nova lux Olympo,
Clarat obscurum genus, atque fines,
Unde vitales puer hausit auras ;
Ornat Iberos.

Creber occultos inopes adibat :
Huic pios sensus, teneramque mentem
Ipsa formarat Pietas ab annis
Insita primis.

Reddit accepti grave pondus auri
Aulico, qui se similis roganti
Veste mentitus lacerat vicissim
Finxit egenum.

Charitas numquam, bene pasta Christo,
Crastinos curat, numeratve Soles,
De suo dives, propriis triumphat
Splendida damnis.

SÆPIUS surdas, tua, Christe, verba
Transvolant aures, subière purum
Ut semel pectus, bona dant perennes
Semina fructus.

Dum reos verbo vehemente terret,
Inferos præco minitatus ignes :

Unus offensus timet imminentem

Numinis iram.

Mox gravi fœsus pia corda telo,

Vix sui compos mediam per urbem

Currit exclamans, rigidisque tundit

Pectora palmis.

Heu furor! mentis velut impotentem

Asperis scindunt lacerantque virgis.

Perditam sperant revocare multo

Verbere mentem.

Quàm libens, ægrum lacer ille corpus;

Sub truci vitam posuisset ictu!

Jam suis dudum tibi, Christe, factus

Victima votis.

QUAM tuæ fortis nova nunc imago?

Coelitum gazæ referantur omnes,

Ipsa quæ longum sitiens petisti,

Flumina potas.

Non fames posthac, neque te tenebunt

Amplius terris loca foeda morbis.

Tu Dei pleno satiandus haustu,

Astra tenebis.

Turba quem circumdabat indigentum;

Coelitum te nunc chorus omnis ambit:

Et Deum placant, tua dum renarrant

Inclyta facta.

Hi putres artus, alii profundos

Vulnerum monstrant oculis recessus,

Quæ manu cautâ, medicoque lambens

Ore fovebas.

Te patrem dicunt pueri relictî,

Te vocant ægri subitâ medentem

Arte, per longos cruciavit annos

Quos fera pestis.

De tuis, si te mala nostra tangunt,

Sedibus, terras humiles tuere;

Nec tuam, quæ te studet æmulari,

Despice prolem.

Diviti sit laus super astra Patri;

Pauperi, mundum necesse qui redemit,

Æqua laus Nato; tibi par, superni

Numen Amoris.

XIX. MARTII.

PRO SANCTO JOSEPHO.

REGUM progenies, Ifacidum decus,

Festo te celebrent carmine conjuges,

Certatimque ferant candida virgines

Sponso lilia virgini.

Tu Joseph, novi lux nova fœderis,

Tu custos sociæ Virginis integer,

Tu sanctæ thalamo conjugis abstinens,

Tu Christi tamen es Pater.

Alto progeniem quàm bene creditam

Servas consilio, depositum Dei!

Tecum pervigiles coelituum Pater

Curas juraque dividit.

Artus invalidum tu puerum foves;

Infantique Deo pabula sufficis;

Et formata Dei te sine, de tuis

Crescunt membra laboribus.

Sint qui mille tubis undique personent,

Adventasse Deum, qui populos regat:

Tu commissa tibi non violabili

Velas Sacra silentio.

Sit laus summa Patri , summaque Filio ;

Sit par æque tibi gloria , Spiritus ,

Qui foecunda facis viscera virginis ,

Illabens utero Deus.

MATRIS intactæ , venerande conjux ,

Tellis , & custos nivei pudoris ,

Quid Deo plenam meditaris anceps

Linquere sponsam ?

Anxium , coelo tibi missus Ales

Firmat ; hinc virgo tibi visa major :

Mente sedatâ modò nasciturum

Numen adoras.

Vix puer natus ; redit ecce præpes

Nuntius patri ; Fuge , dixit , infans

Quæritur , matrem puerumque tutas

Transfer in oras.

Tu nihil contra ; per opaca noctis

Protinus matrem , puerumque transfers.

Dirigunt gressus , aperitque calles ,

Dum silet infans.

Ora mox solvet ; Solymas per urbes

Quem dolens quæres comitante matre ,

Hunc senes inter , puerum stupebis

Mira loquentem.

Anxias mentes , tenebrisque mersas

Christus illustret , Patris ipse splendor :

Nos inoffenso pede ducat astris ,

Semita factus.

Nostra te summum celebrent parentem.

Ora , te summo genitum Parente ,

Par sit amborum tibi laus per omne ,

Spiritus , ævum.

XXI. MARTII.

SANCTO BENEDICTO ABBATI.

DESERTA, Valles, Lustra, Solitudines,
 Satis sub altâ nocte, sub nigrâ specu
 Celastis olim, quando terris degeret,
 Qui nunc Olympo fulget inter Coelites.

Quis ille, testes nam fuistis, dicite,
 Quot saxa fuis irrigarit fletibus,
 Et vestra, quantis & quibus suspiriis
 Turbarit hospes hic novus, silentia?

Et tu fidelis, tot laborum conscia
 Spelunca, vivi ceu sepulcrum corporis,
 Tuis sub umbris, quanta, dic, affulserit,
 Pro Sole mundi, Solis æterni dies.

Sedarit ille quo cibo duram famem,
 Sitimque longam quo levarit poculo,
 Quo membra lecto straverit languentia,
 Quinam Sodales, & quibuscum vixerit.

Quod mundus ardet, & quod ardens colit,
 Sordebat illi, floris instar aridi:
 Terrena grandi cuncta despectans fide
 Noctes diesque cogitat coelestia.

Ne prava lædant criminum contagia,
 Romam, Sodales, & Suos, & se fugit:
 Te, Christe, solum scire, te studet sequi
 Prudens, & altâ doctus ignorantia.

Tutus profundis non satis recessibus,
 Ne quid parumper turbet attentum Deo,
 Prærupta quærit, & specus impervias,
 Semet relinquit, jam relictis omnibus.

Patri perenne sit per ævum gloria ;
 Tibique laudes totus orbis concinat ,
 Æterne Nate , splendor æterni Patris :
 Compar sit almo laus decusque Flamini.

I L L E , quo terris duce militamus ,
 Intrat æternas BENEDICTUS arces :
 Annuos hujus celebremus hymnis
 Ritè triumphos.
 Hic Deo plenus puer , altiores
 Concavæ rupis fugit in recessus ;
 Nil domûs splendor , nec opes , nec obstat
 Mollior ætas,
 Vilis arebat decor iste mundi ,
 Passa jam longos velut herba Soles ,
 Noverat pulchris malè delitentem
 Floribus anguem.
 Factus immanis novus hospes antri ,
 Nil Deum præter videt , hunc profundâ
 Consulit , rerum strepitu silente ,
 Mentis in aulâ.
 Ille dum secum , sine fine longos
 Computat vitæ melioris annos ,
 Cuncta confundens , fugientis ævi
 Tempora nescit.
 Invidus totas movet hostis artes ;
 Obsidet , turbat , Juvenem laceffit ,
 Oſſibus miscet malè blandientis
 Semina flammæ.
 Sensit ut cæcos malè sanus ignes ,
 Se per hirsutos agitare vepres
 Cœpit , abscedens laceros voluptas
 Horruit artus.

Nostra te summum celebrent Parentem
 Ora , te summo genitum Parente ;
 Par sit amborum tibi laus per omne ,
 Spiritus , ævum.

SURGE , quid cessas ? **BENEDICITE** , prodi
 E tuo demum redivivus antro :

Posceris mundo ; tua te retexit
 Maxima virtus.

Te decet sacros reparare cultus :
 Te rudes morum repetunt Magistrum ;
 Pro tuo jurant dociles alumni
 Vivere nutu.

Viva lux ægros necat inuentes.
 Nescius flecti sibi fecit hostes :
 Mors propinatur ; crucis ista signo
 Rumpitur urna.

Cedit ingratas fugitivus oris ;
 Se suæ nocti , latebrisque reddit ;
 Liber , exultans habitare secum ,
 Cetera mittit.

Quò ruis præceps ? tibi Numen obstat ;
 Non potest tantum latitare lumen.
 Prole debetur tibi pro rebelli,
 Subdita proles.

Impio dudum temerata cultu ;
 Lustra Cassini petis alta montem ;
 Uktor infames , Erebo fremente ,
 Diruis aras.

Hic novos ritus , nova templa ponis ;
 Barbaras Christum resonare gentes
 Ut doces , primæ fera corda ponunt
 Subdita voci.

Hic tuæ prolis , Pater alme , cunæ ;
 Quæ vagos cœli radiantis ignes ,
 Et maris vasti numero carentes

Vincet arenas.

Hæc erat tellus tibi destinata ,
 Hoc Patrem sancti populi futurum ;
 Monte sub sacro , propior docebit

Te Deus intus.

Regulam , Cœlo prius approbante ;
 Scribis ; hæc vitæ modus est beatæ :
 Tota mens Patris viget hic ; paterna

Iussa sequamur.

Te probant mundo manifesta signa.

Ut jubes , parent elementa voci.

Avolat Maurus , solidosque suprâ

Ambulat amnes.

Rupe de durâ modò profluentes

Elicis rivos ; loca sicca stagnant.

Iussa mors primæ rediviva luci

Corpora reddit,

Regio mendax Gothus apparatu ;

Se canit Regem , simulantis artes

Detegis ; diro metuenda pandis

Fata tyranno.

Aspicias Solis radio sub uno

Vana collecti simulacra mundi :

Cuncta decrescunt , Deus unus imo

Pectore crescit.

Præcius mortis propè jam futuræ ,

Ut novas vires animosque sumat

Pascitur Christo , solidâque fortis

Fervet ab escâ.

Flebat adstantum pia turba fratrum ;

Ille gaudebat properare coelo.

Visa , quâ transit , radiare longæ

Semita lucis.

Quâ viâ cellas tibi pandis arces ,

Fac tuos illâ , Pater , ire natos ,

Et tuâ tandem prece , nos beatis

Coetibus adde.

SANCTIS MONACHIS

ORDINIS S. BENEDICTI.

Q UÆ signata novo semita lumine

Coelo se referat , dicite Coelites ?

Hanc fulgens radiis ingreditur viam

Sacri conditor Ordinis.

Illum ponè sequens , innumerabilis

Se se turma præmit ; fervida prævium

Aut æquare patrem , vel propius sequi

Ardet passibus æmulis.

Adfunt progeniti sanguine regio ,

Adfunt tergeminò qui diademate

Fulgent Pontifices , sunt quoque Martyres ;

Tanti progenies Patris.

Fratrum juncta manus , sancta Sodalitas ,

Vestris ut socios agminibus velit ,

Placari facilis , jungere nos Deus ,

Nostros ferte Deo preces.

Qui lucis Pater est , gloria sit Patri ;

Qui lux ipsa Patris , gloria Filio ;

Amborumque tibi , nexus amabilis ,

Sit par gloria , Spiritus.

XXV. MARTII.

DE INCARNATIONE CHRISTI

SEU ANNUNTIATIONE DOMINICA.

HÆc illa solemnis dies,
Dies salutis nuntia,
Quâ missa cœlo, tristibus
Venêre terris gaudia.

Unius omnes crimine,
Casu gravi lapsi sumus:
Ut ipse lapsos erigat,
Descendit in terras Deus.

Qui, Patris æterno sinu;
Æterna proles nascitur,
Obnoxius sit tempori,
Sinum nec horret Virginis.

Mortale corpus induit,
Orbi piando victimam;
Ut innocenti sanguine,
Scelus nocentium diluat.

Qui cuncta complet numine;
Nostros se in artus colligit:
Ut nos reducat ad Deum,
Est ipse nobiscum Deus.

Mundo Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus maxima,
Cum Patre, nec tibi minor
Laus, utriusque Spiritus.

CELESTIS

CŒLESTIS ales nuntiat
 Implenda mox mysteria :
 Virtute secundâ Deus
 Illapsus implet Virginem.
 Qualis stupendo gloria
 Te, Virgo, de partu manet !
 Conceptus in tuo sinu,
 Natus Deo, nunc est tuus.

De virginali sanguine,
 Quem nulla labes inficit,
 Fingente sancto Spiritu,
 Christi caro compingitur.

Nobis per hanc mortalibus
 Lactescit esca cœlitum :
 Nos pascit infantes homo,
 Qui pascit Angelos Deus.
 Mundo Redemptor qui venis,
 Fili, tibi laus maxima,
 Cum Patre, nec tibi minor
 Laus, utriusque Spiritus.

PULSUM supernis sedibus,
 Umbris tot annos oblitum ;
 Cœlestis ignarum vitæ,
 Errabat humanum genus.

Cœlestis en Rex curiæ
 Ut monstret ad cœlum viam,
 Secumque ducat exules,
 Se sponte fecit exulem,
 Se devius præbet ducem,
 Vires dat ambulantis,

D

Est ipse , quâ ducit , via ,
Quò ducit , ipse terminus.

Deus , suprema Veritas ,
Umbrata velo corporis ,
Puris videnda mentibus ,
Lustra tuo nos lumine.

Et tu , tuorum sis memor ;
Quæ , dum modesto pectore ,
Te dicis ancillam Dei ,
Regina mundi diceris.
Mundo Redemptor qui venis ;
Fili , tibi laus maxima ,
Cum Patre , nec tibi minor
Laus , utriusque Spiritus.

IX. APRILIS.

SANCTÆ Mariæ Ægyptiæ.

O V o s cum citharis jungite cantus ,
Cives ætherei ; femina sanctis
Quondam pulsa adytis , debita cœlo
Nunc ad sidereas transvolat arces.

Sacris quæ repulit longius arcens
Templi liminibus crimine scœdam ,
Hæc est illa manus , quæ modò amica
Ablutam lacrymis admovet aris.

Hæc olim tenebris obsita densis
Jam cœlo nova lux undique fulget ,
Et monstrat faciles prævia portus
Passis naufragium triste pudoris.

Quæ non divus Amor pectora mutat !
Ut cœli radius fulsit ab alto ,

Urbes, seque fugit; nulla sat altos
Ut se condant, habet silva recessus.

Illi pro thalamo, frigida rupes:
Lautis pro dapibus, graminis herba;
Nec Soles calidos vestes repellit,
Nec duras hiemes pellibus arcet.

Patri maxima laus, maxima Nato;
Sit laus æqua tibi, Spiritus alme,
Qui dum sacrilegum pellis amorem,
Puros insinuas cordibus ignes.

ULTRIX ipsa suos sævit in artus,
Per quos & potuit pulchra placere,
Deformis macies incubat ori,
Sed formam melior Gratia pensat.

In poenam scelerum sæpe recurrant
Importuna malæ gaudia vitæ:
Sed versans animo debita noxis
Tot tormenta, graves comprimit æstus.

Tandem digna polo deferre terras,
Placasti lacrymis Numinis iram;
Jam tu pasta sacro corpore Christi
Æternæ capias pabula mensæ.

III. MAII.

IN INVENTIONE S. CRUCIS.

TELLUS tot annos quid tegis
Nostræ salutis pignora?
Cruce monte toto quæritur,
Ultrò tuos pandas sinus.

Dij

HYMNI SACRI

Quid dura fossoris manus

Scrutaris alta viscera ?

Celare Lignum sit pudor ,

Quo nostra surgit gloria.

En illa gemma perdita ;

Inventa tot laboribus :

En qui latebat , erutus

Thesaurus agro prodiit.

Regina quæsitam crucem

Monstrante Christo repperit :

Oblita fastus regios ,

Sceptro repertam prætulit.

Crux sancta , Christi corporis

Virtus salubrem te facit.

Contingit ut te mortuus ,

Vitæ priori redditur.

Fulgore cujus territa

Pallent tremuntque tartara :

Hæc arma si quis induat ,

Ridebit hostis impetus.

SIGNUM novi Crux foederis ,

Crux orbis Arca naufragi ,

Cum jam perimus , nos Ratis

Portus refers in patrios.

Telis rubentem flammeis

Ultoris exarmas manum :

Placatur , ut te respicit ,

Iras & obliviscitur.

Lethale si vulnus ferat

Infernus anguis morsibus :

Læsi simul te viderint ,

Repentè tu medeberis.

Arâ sub illâ , par Deo ,

Se consecravît hostia :

Hac sede læsum Filius

Placavit orator Patrem.

Cruz sancta , cruz amabilis ,

Cruz tincta Christi sanguine ,

Haurire da nos largius ,

Vitam , Dei de funere.

Qui per Crucem nos liberas ,

Fili , tibi laus maxima ,

Cum Patre , nec tibi minor

Laus , utriusque Spiritus.

CRUX , sola languorum Dei

Pendentis in te conscia !

Ejus dolores intimos ,

Dic verba , dic suspiria.

Clavi pedes , clavi manus

Fixere duro stipiti ,

Cinctum cruentis vepribus

In te recumbebat caput.

Cum morte luctantis Dei

Legis supremos spiritus :

Christus tuo , volens mori ;

Vitam reliquit in sinu.

Tu lectus in quo nos parit ;

Suggestus , è quo nos docet ;

Olim tremendum fontibus

Eris tribunal judicis.

Qui per Crucem nos liberas ;

Fili , tibi laus maxima ,

Cum Patre , nec tibi minor

Laus , utriusque Spiritus.

III. MAIL
IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIAE
AURELIANENSIS,

Quæ occurrit die sacrâ Inventæ Crucis.

LUCE quanta se sub unâ
Offerunt solemnia ?
Templa, sunt hæc dedicata,
Quo reperta Crux die,
Juncta festa personemus
Ritè junctis vocibus.

Summus olim qui Sacerdos
Immolabat victimas :
Victimarum. consecrabat
Templa sparso sanguine,
Et cruentam stans ad aram
Expiabat crimina.

Transiêre cum figuris
Vana tot legalia ;
Ara Crux, quâ Christus offert
Corpus atque sanguinem,
Ipse factus, qui litabat,
Pontifex, & hostia.

Unctâ Crux Dei cruore,
Quàm potens, & efficax !
Hujus attactu jacentes
Erigunt se mortui,
Christus olim quâ pependit,
Tanta vis fuit Crucis !

Templa spirant sanctitatem ;
Unctâ sancto Chrismate,
Nempe descendens ab alto
Numen ipsum continent ;

Ut Crucis ligno latebat ,
 Sic latet templo Deus .
 Sempiterno laus Parenti ,
 Sempiterna gloria ;
 Filioque , qui redēmit
 Morte nos volens suā ;
 Flaminique , cujus almo
 Consecramur halitu.

PUBLICI fontes salutis
 Sacra Christi vulnera ;
 Vulneratos illa sanant ,
 Instar anguis ænei ,
 Quisquis æger , speret , & spe
 Non suā fraudabitur.

Templa valvis sic apertis
 Ad salutem pandimus ;
 Numen hic præseps adoret ,
 Per fidem sanabimur :
 Qui laboras , Christus inquit ,
 Sublevabo , si venis.

Crux tribunal , quo sedebit
 Justus ultor criminum ;
 Non deest templis tribunal ,
 Quo nocentes judicat ;
 Spontè si nos judicemus ,
 Cedet ira judicis.

Latro supplex dum fateatur
 Crimen , indulget Deus ,
 Supplicemus , & remittet
 Nostra clemens crimina ;
 Nosque primi puniamus ,
 Ne secundus puniat.

Div

TOTIUS fons sanctitatis,
Sancta quo sunt omnia,
CHRISTE, Patris par imago,
Pura proles virginis,
Molle cuius corpus almo
Consecratur numine.

Quo loco, quâ tu sedebas
Hospes acceptus domo,
Hanc domum tu dedicabas
Vel tuâ præsentia;
Tota se vis exerebat
Delitentis numinis.

Magna signa si patraſti;
Quando morti debitus;
Te quibus signis probabis,
Quando totus es Deus?
Non crucis jam ſtans ad aram
Qui tuo templo ſedes.

Tu ſacerdos, ipſe templum;
Ara, nec-non hoſtia;
Semper agnus immolaris
Lacruento ſunere;
Indiges non hic miniſtris;
Caritas te te immolat.

Semper oras hic parentem;
Supplices tendis manus,
Ipſe iudex, & patronus
Proque nobis Pontifex,
Qui tuo quodcumque crimen
Expiaſti ſanguine.

Hoc piatos in lavacro,
Nos & unctos Chriſmate;

Unde nos gens Christiana
 Dicimur, nos & sumus;
 Labe puros, CHRISTE, serves;
 Christianos moribus.

X I X. M A I I.

S. PETRO MORONO, CÆLESTINO

PAPE V.

SACRI CÆLESTINORUM ORDINIS INSTITUTORI.

Q U æ dies surgit tenebris ab ipsis?
 Dum fugit lucem, timidus videri,
 Nöcte silvarum latitans MORONUS
 Poscitur Orbi.

Roma diversis agitata votis;
 Cùm vacat Petri viduata sedes;
 Voce concordi procul evocatum
 Hunc legit unum.

Solus obssistit: triplici coronâ
 Frons timet cingi, grave pondus horret:
 Quam prius Christus tulit, hirta spinis
 Una placeret.

Arce ne præceps ruat è supremâ,
 Rursus abscondi meditatur antro;
 Sed sacri coetûs lacrymæ morantur,
 Votâque Regum.

Flentibus cedit, malè victus, agrè
 Præbet assensum. Lacrymæ decoræ!
 Ipsa quas fudit, sibi dum timebat,
 Proditâ virtus.

Roma nunc illi nova solitudo;
 Sit sui semper memor ut recessûs;
 Regiæ caram locians Eremitam
 Intulit aula.

Dv

HYMNI SACRI

Sola crux totum decus , & suppellex ;
 Vilis & pauper , velut antè , mensa ;
 Quin opes inter magis affluentes
 Splendet egestas.

Si tuos curas , Pater adme , natos ;
 Da sequi certo pede , quò præisti ,
 Quodque fugisti , fugiant caduci
 Culmen honoris.

Summa laus Patri , simul æqua Nato ;
 Et tibi compar , utriusque nexus ,
 Spiritus , qui nos præcul à tumultu ,
 Numine comples.

Non tulit summos pietas honores :
 Sed loco quæ te , statuit supremo ,
 Te , Sacerdotum caput , ipsa cogit
 Sistere in imo.

Fleverat , quando triplici tiarâ
 Vidit ornatam radiare frontem ,
 Tanta lux terret , graviora terrent
 Pondera rerum.

Advocat Patres , diadema ponit ,
 Majus accessit decus inde fronti ,
 Nam Deus nudo capiti supernum
 Aflat honorem.

Antè qui celsus folio sedebat ,
 Ad pedes Patrum cadit advolutus ,
 Sponte se subdit , modò Christiani
 Arbiter Orbis

O nimis felix fuga ! rursus antro
 Se suo reddit , cupidus latère ,
 Hic Deo totus strepitu vacabat
 Liber ab omni.

Multa mox terris , sibi durus ipsi ,
 Passus , æternas , ubi sancta puris
 Diffuens rivis habitat voluptas ,
 Transit ad arces.

QUID petis cœcos nemorum recessus ,
 Et fugis frustra , modò qui futurus
 Ordinis sacri Pater , ipsa prodet
 Te tua virtus.

Est in obscuris sua lux cavernis ,
 Estque deserto sua vox silenti ,
 Et fugæ semper comes it dolosæ
 Nuntia fama.

Mille per poenas hilarem juventam
 Allicis , quæ te studet æmulari ;
 Mollibus non sic trahit illecebris
 Blanda voluptas.

Ferreâ corpus subigis catenâ ,
 Vermis hinc putri scatet è cruore ;
 Intimæ carni lociatur hærens
 Hispida vestis.

Lympha dat potum , cibus est legumen ;
 Pro thoro molli malè junctus asser ;
 Pro domo , quæ vix capit arcta corpus
 Humida rupes.

Quâ viâ celsas tibi pandis arces ,
 Fac tuos illâ , Pater , ire natos ,
 Et tuâ tandem prece , nos beatis
 Cœtibus adde.

Summa laus Patri , simul æqua Nato ;
 Et tibi compar , utriusque nexus ,
 Spiritus , qui nos procul à tumultu ,
 Numine complex.

X. JUNII.

DIVO LANDERICO.

EPISCOPO PARISIENSI.

LUX redit terris sacra LANDERICO,
 Lux Parisinæ sacra semper urbi,
 Quâ poli magnus penetravit alta
 Tempia Sacerdos.

Hujus adventu nova lux Olympo
 Fulsit, & sanctum radiare sidus
 Inter augustæ nova festa pompæ
 Suspicit æther.

Sed quid auditur? gemit orba Tellus;
 Et suum nati repetunt parentem,
 Pauperes lugent, lacrymisque turbant
 Gaudia cœli.

Num suis dives satis est Olympus
 Incolis? terras spoliare cesset:

Cur Sacerdotem populis amicum
 Invidet Orbi?

Anne virtutum fuit illa merces?
 An parum dignæ suæ poenæ plebi?
 Sic Deus iustis graviora plectit
 Crimina poenis.

CHRISTE, pastorum bonus ipse Pastor
 Qui greges pascis proprio cruore:
 Fac ut æternæ subeant opima
 Pascua vitæ.



TE pium dicam, scelerisque purum ;
 Te canam fortem grege pro tuendo ;
 Cuilibet promptum misero benignam
 Tendere dextram.

Dum fames magnam populatur urbem ;
 Tristis & vexat populos egestas ,
 Caritas fundo meliore dives
 Pascit egenos.

Pauperi per te nova gaza crevit :
 Nil tibi servas ; tua sublevandæ ,
 Sit licet vilis pretio , supellex
 Vendita plebi.

Se bonis postquam spoliavit ultro ;
 Mox Dei sacras spoliavit aras ;
 Nudus in terris Deus induendus ,
 Pauper alendus.

Vasa Templorum bene fregit audax :
 Quod manus fabri studiosa cudit ,
 Caritas rumpit ; meliore flammâ
 Spontè liquefcunt.

Ille , qui crimen patiat omne , sanguis ;
 Et fuit nostræ pretium salutis ,
 His adhuc fumans pateris , salutem
 Fert quoque ruptis.

Tuque , nam flagrans inopes juvandi
 Est adhuc cordi studium beato ,
 Hanc tuis curam , Pater , hos alumnis
 Injice sensus.

Hujus exemplo pretiosa quamvis ,
 Utilis nobis etiam supellex ,
 Pauperum sacros , repetente Christo ;
 Cedat in usus.

QUÆ domus divæ propè templa surgit
 Virginis, duris habitata morbis,
 Et Deo gaudet nimium superba
 Hospite sedes?

Primus hanc condis, pater universæ
 Plebis & tutor; dedit hanc benigna
 Caritas mentem; pia cura seris
 Provida seclis.

Non ibi fulgent laqueata testa;
 Non ebur candens, pariumve marmor.
 Caritas ornat, melius renidet
 Paupere Christo.

Nullus hanc intret pius æger ædem;
 Quin tuum laudet, repetatque nomen;
 Totque præcones tua facta narrent,
 Quot sovet ægros.

Qui tuis, cives, pia turba, curis
 Spontè succedunt, tua, magne Præsul;
 Quo domum fundas animo, fideles
 Cœpta secudent.

CHRISTE, &c.

XI. JUNII.

PRO STO. BARNABA APOSTOLO.

CÆLO datur quiescere
 Terris relictis, BARNABA;
 Solemnis hæc affert tuis
 Finem diés laboribus.

Quem propter, agro vendito
 Opes caducas deseris,

Magno rependens foenore

En fundus ipse fit tuus.

Tu sacra per jejunia,

Tu publicas inter preces,

Iubente sancto Spiritu,

Christi crearis nuncius.

Quas non adis mundi plagas

Pauli laborum particeps ?

Vos unus ambo spiritus,

Vos una junxit caritas.

Quam vestra gens Christi fidem

Luci rebellis reppulit,

Nil hæsitantes barbaris

Portastis illam gentibus.

Fac, Christe, nostris se tuum

Cum lumen offert mentibus,

Amore ne noctis suæ

Coeleste donum respuant.

PRO OCTAVA ASCENSIONIS DOMINI.

FELIX dies mortalibus,

Quâ per profusum sanguinem,

Homo Deus, clausas diu

Intravit æternas domos !

Nos membra, quò nostram caput,

Quò dux prævit, ibimus ;

Si jungat tua mens simul,

Nos una junget gloria.

Discessit, & suis adest

Præsepte semper spiritu ;

Miscens suo se corpori
Omnes in artus influit.

At illa quæ ! qualis dies !
Dies tremenda fontibus,
Dum sede descendens suâ
Redibit ultor criminum !

Damnatus insons à reis
Partes resumet judicis ;
Ad cujus ora contremant
Dijudicandi iudices.

Ut morte dignos solveret ;
Morti volens se subdidit ,
Cui mors Dei non proderit ,
Vindicta qualis imminet !

Quem noxa lethalis premit ;
Prævertat iram numinis ,
Largisque prudens debitos
Extinguat ignes fletibus.

SENSUS quis horror percutit ?
Cælum profundum scinditur.
Christum sedentem nubibus
Hinc inde stipant agmina.

Feralis ad sonum tubæ
Mors iussa reddit mortuos ,
Quos ad tribunal iudicis
Urgent coactos , Angeli.

Pios locans ad dexteram ;
Repellit ad lævam reos.
(Novit gregem pastor suum ,)
Oves ab hœdis segregat.

Ad iudicis sedent latus
Quicumque spretis omnibus

Fagère mundum pauperes ,
Deum secuti pauperem.

Crux antè Judæis probum ,
Ludibrium crux Gentibus ,
Terror reis , probis amor ,
Summo micabit æthere.

Fixère quem diræ trabi ,
Cernent , pavebunt , ingement ,
Vultu beabit quos suos ,
Hoc territabit impios ,

Fac , Christe , ne mores bonos
Contage mundus inquinet ;
Secerne nos ab improbis ,
Ne misceamur fontibus.

NO B I S , Olympo redditus ,
Qui , Christe , sedes præparas ,
Nos exules in patriam
Trahas amoris nexibus.

Illic beatos incolas
Curis solutos & metu ,
Puri profusa nectaris
Inebriabunt flumina.

Bonis abundans omnibus
Ingens eris merces , Deus.
Quàm longa pro poenâ brevi
Tuos manebunt gaudia !

Tunc ore nudo qualis es ,
Quantusque , te videbimus ,
Amabimus , te jugiter ,
Te jugiter laudabimus.

Si quos amas , non deseris ,
 Nostræ salutis obsidem
 Mittas ab altis sedibus ,
 Qui nos adoptet , Spiritum.

IN EUCHARISTIAM.

NA TE , qui Deo parenti
 Par Deus nunc affides ;
CHRISTE , supremus Sacerdos ,
 Atque factus hostia ,
 Ipse Iudex , & patronus ;
 Et Deus , nobis homo.

Te tuis offers sub aris
 Incruento funere ;
 Nostra , vel te gloriosum
 Heu ! cruentant crimina ,
 Judicem te , te patronum ,
 In dies lacessimus.

Sacra sicne tam nocentes
 Ambiunt altaria ?
 Quam tremiscunt intuendo
 Puriores Spiritus ,
 Sustinebunt inquinati
 Numinis præsentiam ?

Morte victâ , qui triumphas ;
 Cogimus rursus mori ;
 Morte placasti parentem ,
 Illa mors nil proderit ?
 Vana sunt an sic amoris
 Sempiterna pignora ?
 Tolle vela , rumpe nubem ;
 Ore nudo prodeas .

Temperato tu benignus
 Vis latère Numine.
 Nî premas, nos fulguranti
 Enecares lumine.

Nube densâ delixentem,
 Da fide te cernere;
 Sole puro puriorem
 Ore puro pangere:
 Da simul nos immolari
 Immolata victimæ.

Laus suprema sit Parenti,
 Qui creavit omnia,
 Filióque, qui redēmit
 Morte nos volens suâ;
 Par & illi, cujus almo
 Recreamur halitu.

SIC amas, ut quos amasti,
 CHRISTE, numquam deseras.
 Ipse corpus das in escam,
 Et propinas sanguinem,
 Jamque factus lactis instar,
 Ne cibus nos opprimat.

Qualis ista fraus amoris
 Ut reis indulgeas!
 Non vides, sensus, nec audis,
 Et manes immobilis;
 Talis astris imperantem
 An decet status Deum!

Non ut olim, monte sancto
 Hic Deus nos territas;
 Inter ignes non minaris,
 Hic amas mitescere;

Quàm bonus , prudensque celas
Hic tuam præsentiam !

Pauperes nos , nos pusillos,
Nos ab altris exules ,
Ut reducas nos Olympo ,
Nosque reddas divites ,
Ipse factus es pusillus ,
Pauper , exul , indigens.

Ventre natum virginali
Corpus olim sumpleras ;
Hoc Deo plenum redonas
Ampliori scœnore ;
Ter , quater , nos ô beati
Tanta per commercia !

Mensa qualis hic paratur ,
Si quis intus esurit !
~~Affides conviva nobis~~
Ipse tu convivium :
Fons salutis , si quis ager ;
Si flet , hic solatium :

Laus suprema , &c. 91.

CH R I S T E , qui regnas Olympo ;
Nos vides quàm diffitos !
Arte mirâ sis propinquus ,
Tuque nobis jungeris ,
Quâ semel terras beasti ,
Corporis præsentia.

Hinc fluunt torrentis instar
Gratiarum flumina ,
Quale pectus non liquecat
His amoris ignibus !

Inquinatus quis recuset
 Hoc piari sanguine ?
 Pone fastus hic tumentes ;
 Numen hic se deprimit.
 Quid vagaris , dum sub arcto
 Orbe se se contrahit ?
 Ambies posthac videri ,
 Dum latet velo Deus ?
 Laus suprema , &c. 91.

I L J U L I I.

IN VISITATIONE B. MARIE VIRG.

Q u ò sanctus ardor te rapit ,
 O Virgo , hos ò virginum ?
 Quo tendis , & cito gradu
 Conscendis alta montium ?
 Urget sacer te Spiritus
 Toto repletam Numine :
 Matris Dei jam dignitas ;
 Nil caritati detrahit.
 Tibi propinquam sanguine
 Matrem puella prævenis ;
 Concessa cui divinitus
 Grataris alvi munera.

O quanta matrum gaudia !
 Stupente naturâ gravem
 Anum stupeſ , quæ virginem
 Plenam Deo te prædicat.
 Absconditum sub intimo
 Ceu nube , portabas lina
 Solem , suo qui protinus
 Luſtrabit orbem lumine.

Ad prima verba Virginis ,
 Intus movente Spiritu ,
 In matris alvo conditus
 Infans Ioannes gestiit.

Agnovit infantem Deum ;
 Quem sensit , ardet prodere ;
 Vates & infans , quâ potest ,
 Adesse Christum nunciat.

Hic jam Redemptoris vices ,
 Præconis ille sustinet :
 Materna claustra non vetant ,
 Quiu ambo munus impleant.

Felix puer , felix parens ,
 Felix sacerdos , & domus ,
 Quæ per parentem Virginem
 Deo fruuntur hospite !

MONTES , superbum verticem ,
 Quâ virgo transit , subdite ,
 Cui se libenter sternerent
 Vel ipsa cœli sidera.

Occulta , quæ latet domi ;
 Audet foras se prodere.
 Semper sibi timens Pudor
 Se Caritate protegit.

It illa : non nescit moras :
 Fugit videri , nec minùs
 Fugit videre , ne suo
 Quidquam pudori detrahat.

Beata , quam pressit pede
 Tellus ! beata semita !

Colles beati , qui simul
 Cum matre sensistis Deum !
 Beatiores hospites ,
 Vos ô quibus coelestia ,
 Loquente matre Virgine ,
 Audire verba contigit !

X V. J U L I I.

DIVO HENRICO IMPERATORI.

NUNC sacris Regem celebremus hymnis ,
 Qui Deo fretus pia bella gessit ,
 Grande qui nomen sibi Christianis
 Fecit ab armis.

Magna laus Regum dare jura victis ;
 Sed tibi , Princeps , populos feroces
 Ad Dei veros revocare cultus ,
 Maxima laus est.

Lectus ex omni procerum Senatu ;
 Ut salutatur pius Imperator ;
 Principi Regum sua jura subdit ,
 Sceptraque Christo.

Quis tibi sensus ? tumulo resurgens
 Quando Volphangus per opaca noctis
 Adstitit prælul ; lege scripta , dixit ,
 Parjete verba.

Hæc legis : *Post sex* , relegisque verba
 Factus interpretes tibi scripta credis ,
 Utque supremâ moriturus horâ ,
 Fles , gemis , oras.

Falleris ; non hæc data meta vitæ ;
 Mors tibi parcet nihil ausa : vives.

Septimus mensis , neque claudet annus

Septimus ævum.

Omen est sceptri tibi destinati,

Nempe conscendes solium petitus

Omnium votis , tibi qui parabas

Ipse sepulcrum.

CHRISTE , fac mortis memores propinquæ ;

Deferent quæ nos bona , deseramus ;

Ultimæ nostris animis recursset

Sortis imago.

Summa laus summo super astra Patri ;

Filio compar homini , Deoque ;

Nec tibi dispar , utriusque sacri

Numen amoris.

Q U I dies mortis numerat futuræ ,

Vilis huic mundus velut umbra transit ;

Excitus somno fugitiva cuncta

Cernit & horret.

Funeris tristes videt apparatus ,

Mente prælagâ videt & sepulcrum ;

Ipse pascendis ubi porrigetur

Vermibus esca.

Non opes ambit , modò quas relinquet ;

Debitum morti neque corpus ornat ;

Nec domos ponit , domus est suprema ,

Triste sepulcrum.

Sistitur pallens reus ad tribunal ;

Consciam torquent malefacta mentem ,

Quà potest placat , sibi durus ipsi ,

Judicis iras.

Cogitat

Agitat quis sit, modò quis futurus;
Acribus ne sit data præda flammis,
Tempus oblatum rapit, expiandi
Dum vacat hora.

SUMME jam Princeps, pia bella tentas;
Scuta, lorica, galeam salutis;
Hæc ducem belli sacra Christianum
Arma decebunt.

Militat præsens tibi totus æther,
Quin suum, Christi pugil Adrianus;
Quo triumphavit, tibi præbet enses;
Hoc quoque vinctes.

Instruens turmas aderas, Georgi,
Tuque Laurenti, tibi consulebas;
Victor HENRICUS reparare lapsum
Voverat ædem.

Tutus his armis, ducibusque fidens;
Barbaras gentes sine clade vincis.
Irruit terror; fugiunt relictis
Agmina castris.

Non cruor suffusus tua tinxit arma;
Quos domas hostes, subigendo servas;
Milites per te meliora Christi
Signa sequuntur.

Dum Deo pugnas, Deus ipse tecum
Pugnat & vincit; memor inde rapta,
Rite sacratis inimica figis
Postibus arma.

His Fides exul remeavit oris;
Templa ponuntur, reparantur aræ,
Quas furor stravit, Pietas vicissim
Erigit ædes.



Q U I D novi terris super astra puræ
Quod stupent mentes , quod & æmulantur !
Corpus oblitos homines vel ipse
Suspicit æther.

Nupsit HENRICO Cunegundis , ambo
Stirpe regali , juvenes & ambo ;
Corpus intactum thalamos perosi
Ambo tuentur.

Junxerat sponfos potiore vincolo
Charitas puris vehiens ab astris.
Charitas præfert quoque nuptiales
Pronuba tædas.

Non amor prolis , neque cura sceptri
Pectus angebat ; sine prole lati ,
Ambo felices , modò crescat alto
Pectore Christus.

Proximus morti , procures vocavit ;
Virginem , dixit , mihi quam dicastis
Virginem reddo , comes illa tantum
Addita vitæ.

Hæc maritali sociata vincolo ,
Non maritales thalamos subivit ;
Cuncta celasset , nisi criminando
Proderet hostis.

Profuit fictum scelus innocenti :
Impiâ gaudens malus arte livor
Arguit nuptam temerasse sacri
Foedera lecti.

Sed magis se se pudor inde prodit ;
Calcat ardentes pede nudâ prunas ,
Virgo testatur violata numquam
Claustra pudoris.

XVII. JULII.

DIVE HUNEGUNDI VIRGINI.

Nos juvat sanctas HUNEGUNDIS artes,
 Et pias hymnis celebrare fraudes,
 Ut idem Christo semel obligatam
 Servet amanti.

Sæpe qui ludit malè blandiendo
 Non satis cautos, facilesque falli;
 Perfidum quàm nos mèliore ludo
 Fallimus hostem!

Ludit hunc virgo: Procus expetitas
 Nuptias urget: fugit illa, dissert,
 Se prius voti reà velle dixit
 Tendere Romam.

Annuit sponsus facilis petenti,
 Virginis custos, comès esse gessit;
 Disparet votis licet ambo, pergunt
 Passibus æquis.

Ibat ignotis peregrina terris
~~Cætera~~ cœlestem patriam salutans;
 Nil movet mentem, pede prompta magnas
 Præterit urbes.

Sint duo quamvis, erat illa sola,
 Sponsa jam Christi, cupiebat unum.
 Nec minùs sponsam Deus ipse sponsus
 Ambit unam.

Summa laus Patri, genitoque Verbo,
 Et tibi compar, triusque Nexus,
 Virginum per quem sacra corda puris
 Ignibus ardent.

E ij

Q U A M vides sponfam , tua jure , demens
Luderis , non est ; sibi legit unum .
Cuncta qui solo movet & gubernat
Sidera nutu .

Corde suspirans tacito puella
Nil nisi Christum videt , atque sentit ;
Et procul quamvis oculis sit absens ,
Proximus adstat .

Quando coelestes meditatur Agni
Nuptias , sacro calet igne pectus ;
Muta mortali per iter filebat
Surdaque sponso .

Auribus castis melius sonabat
Blanda vox Christi , docet intus , afflat ,
Latet auditur , latet ille puri
Pectoris hospes .

Ne parum cautos mala nos voluptas
Blandiens syrtes trahat in dolosas ,
Fac , Deus , surdas , aperique sacris
Vocibus aures .

P A N D E conceptas pia virgo fraudes ,
Jam tenes portus & habes asylum .
Ipse Romanus tua jam probavit
Vota Sacerdos .

Fallat ut cautum mage cautus hostem ,
Non deest sacro sua fraus Amori ;
Innocens , simplex Amor , ut columba ;
Cautus , ut anguis .

Spe sua lusus Procus inde sævit ;
Exit indignans amor in furorem .

Quam Deus cultos regit, impotentis
Non pavet iras.

Ad suos salvo rediit pudore,
Venditos agros, bona rapta ridet,
Nempe dotalem levior damno

Sperat Olympum.

Ut redit, sponso redeunt furores;

Puniet poenis quibus immerentem!

Colligens iras lupus innocentem

Spe vorat agnam.

Sic placet, quando furit hostis ira.

Sic amat, quando minitatur enses,

Sic & armatus, furiens cruoris

Sponsus amatur.

Dum mori sperat, nimis est beata;

Quàm juvat sponsi cecidisse dextrâ!

Altero jamjam fruitura sponso,

Libera virgo.

GRATIAE quæ non fera corda cedunt!

E lupo, mitis modò factus agnus,

Vultur audit gemitum columbæ,

Fitque columba.

Virgo se primùm dedit ut videndam;

Flexit iratum, juvenile pectus;

Ipsa quem fecit pietas furentem,

Fecit amantem.

Increpat se se, sua damnat aulâ;

Pœnitens facti veniam precatur,

Et pedes fletu gravis osculatur

Virginis imos.

Reddat ut rapti grave pondus auri,

Vendit ingentes opulentus agros

102 HYMNI SACRI

Nil tibi servans , HUNEGUNDIS ædem
Diat & auget.

Virginis fac nos precibus pudicæ ,
Christe , fac castos , humiles , pudicos ,
Et fuga , qui nos toties sefellit
Fraudibus , hostem.

PRO TRANSLATIONE
SANCTÆ HUNEGUNDIS.

QUÆ tuo tandem sociata sponso
Cœlites inter super astra regnas ,
Virgo , natales , tuæ regna quondam ,
Respice terras.

Terreas , quæ nos inimica terrent
Castra , bellatrix ; premit hostis , urget ;
Arceas nostris , procul imminentem
Finibus hostem.

Si faves , castris fugiet relictis ,
Et pavor turmas citò dissipabit.
Mox tibi verso ferus arma ponet
Pectore miles.

Dum furit bellum , tuæ templa pandis ,
Huc volant gentes , & opem reposcunt.
Dasque portari tua , quæ veremur ,
Ossa per urbes.

Diva quò fertur , bona fert salutem
Civium custos , memor & suorum ;
Ut Philistæi timor , Arca quondam ,
Virgo timetur.

Mox redis belli positq̃ furore ,
Hinc tibi dulces recinuntur hymni.

Pace concessâ tua templa, nosque

Læta revisis.

Nullus hanc intret nisi sanctus. ædem ;

Impius sacros paveat recessus.

Nullus impuro reus ore foedet

Virginis ossa.

Vicit armatum, vel inermis hostem ;

Et pium fecit, patiens malorum

Virgo ; te flestat prece, teque, Christe,

Reddat inermem.

XXI. JULII.

PRO SANCTO VICTORE

MASSILIENSI MARTYRE.

Vos ô Christiadum fortia pectora,

Clarum Massiliæ dicite militem,

Tinxit qui proprio sanguine, quam sacro

Gestat vertice lauream.

Victor militiæ præmia respuens,

Christi castra ducis nudus amat sequi:

Ritus sacrilegos, signaque Cæsaris,

Felix transfuga deserit.

Vinctum compedibus turba satellitum

Nequicquam piceo carcere detinet,

Carcer perpetuis noctibus oblitus,

Tanto lucet ab hospite.

Per noctem sine vi se referant fores ;

Ut Christum doceat, liber adit suos ;

Sub lucem redit ad vincla, volens mori ;

Dux facti comes Angelus.

Miles Pontificis munere fungitur,
 Custodes pavidos crimina dedocet,
 Sacris lustrat aquis, & nova pectora
 Vero numine consecrat.

Sit laus summa Patri, summâque Filio;
 Sit par sancte tibi gloria, Spiritus,
 Cujus præsidio prælia sustinent,
 Fuso sanguine, Martyres.

INUNC, sancte Pugil, quò pia prælia,
 Quò te magna vocant præmia militem.
 Præsens Christus adest, hoc duce ferreas
 Vinces carnificum manus.

Urbem per mediam victima nobilis
 Raptaris, lacero corpore pulchrior.
 Dum discerpta trahit membra ferox equus,

Cœlum mente præoccupas.
 Quo te cumque furor barbarus abripit,
 Fusus vulneribus signat iter cruor,
 Quo sparsa veluti semine, latior
 Surgit Christiadum seges.

Dum te lenta secant verbera pendulum,
 Longâ perfrueris supplicii morâ:
 Affixusque cruci, nobilis æmulus

Christum, quâ licet, exprimis.
 Aras ante Jovis, non malè pertinax
 Victor thura negat, sacrilegam pede
 Deturbat statuam, nec metuit gravem

Vano fulmine dexteram.
 Plebs irata pedem militis amputat,
 Sed non ille gravi vulnere tardior;
 Ad mortem properat, certâque præmia,
 Vram fundere prodigus.

Sit laus summa Patri , summaque Filio ;
 Sit par sancte tibi gloria , Spiritus ,
 Cujus præsidio prælia sustinent
 Fuso sanguine Martyres.

TEMPLA solemnem resonent triumphum ;

Hæc dies longi pretium laboris ;

Strenuum Christi pugilem supremas

Vexit ad arces.

Dum terit sacros mola grandis artus ;

Rumpitur venis cruor è profundis ;

Tum cruentatæ caput immolandum

Devovet aræ.

Vindices æther jaculatus ignes ,

Machinam solvit , tremuere turbæ :

Nil tremens unus pia colla **VICTOR**

Subjicit ensi.

Mox triumphali petit astra curru ,

Splendido frontem redimitus auro ;

Compedes , virgæ , mola , crux , securis ,

Pompa triumphi.

Non tamen solus petis astra , tecum

Dividunt palmam comites , & ornant ;

Pugna quos junxit socios , coronat

Gloria coelo.

Membra dispergunt lacerata ponto ;

Constitit pontus , venerantis instar ,

Atque Phocenses , ubi templa surgunt ;

Sistit ad oras.

VICTOR , exemplis animosiores

Fac tuis nostras sociare palmas ,

Et quibus Christi superemus hostes ;

Arma ministra.

E v

Laus tibi, summi moderator orbis,
 Præmiis duros recreans labores,
 Quem Fides Veri studiosa, trinitus
 Credit & unum.

PRO SUSCEPTIONE PEDIS
S. VICTORIS MARTYRIS

Nunc triumphales iteremus hymnos:
 Non tuas clausit, generose miles,
 Una lux poenas, neque claudat omnes
 Una triumphos.

Vana qui stravit simulacra divum;
 Ille Pes nostris venerandus aris,
 Ire calcatum monet execrandæ
 Fercula pompæ.

Ille Pes nullo violatus ævo,
 Mille post annos veluti recentium
 Vulnerum priscos cute sub rubente
 Servat honores.

Nunc ubi duro solidus metallo,
 Jupiter? supplex ubi turba? ubi ara?
 Pulvis est, dum Pes fragilis perennet
 Durat in annos.

Unde regali domus aucta dono,
 Regiæ custos pietatis hæres,
 Festa testatur memori, quotannis
 Gaudia cantu.

Scandis æternas pede truncus arces,
 Jamque securus premis astra **VICTOR**.
 Arduo sic per pretiosa damna,
 Iur Olympo.

QUIS novus splendor micat inter aras?

Pes facer puro, populis verendus

Clauditur vitro; facis instar urit

Corda tuentum.

Hunc lapis circum pretiosus ardet,

Solis æternos imitatus ignes;

Militis quantò meliore pectus

Arserat igne!

Sceptra cui Franci posuere Reges;

Fronte cui pronâ pariter supremus

Pontifex flexit rutilantem in auro

Ipse thiamam:

Hunc pedem, nobis datur osculari.

Impius quisquis procul hinc recedat;

Quippe sentiret graviora Martyr

Vulnera ferro.

Se prius damnet reus, & profundo

Corde suspiret, sacra quàm supremo

Ore contingat, metuenda certâ

Pignora poenâ.

Martyris virtus rediviva clamat,

Mentis & nostræ putre prodit ulcus;

Quando stillanti malè sicca tabo

Vulnera monstrat.

QUAM vincla sunt hæc fortiora,

Quæ Martyres Deo ligant!

O quàm molesti corporis

Vellent catenas rumpere!

Vix corpus unum sufficit,

Non est satis semel mori,

Evj

Quot scissi membra , tot litant
Deo placentes victimas.

Sic VICTOR exultat mori ;

Quo fœtiles stravit Deos ,
Audax securi dat pedem ,
Mox amputandum verticem.

Detrusus aris Jupiter :

In mille partes frangitur :
Fremens tyrannus palluit :
Concussa sunt & Tartara.

Quam Christiani militis

Est ille factus nobilis !
Triumphat exciso pede ,
Minus triumphasset manu.

Fac , Christe , quæ nos allicit ;

Calcare pompam secili ;
Æterna quando nos manent ,
Quid quarimus mortalia ?

XXII. JULII.

SANCTÆ Mariæ MAGDALENÆ.

PROCVL maligni cedite Spiritus ;
Nunc imperanti cedite Numini ;

Fessamque longis MAGDALENEN

Parecite nunc agitare poenis.

Christi iubentis numine terribi

Fugere septem : mox sibi reddita

Te , Christe , confestatur unum ,

Et memori tibi mente servit.

Quin & cruentâ de trabe pendulo

Christo habet mille doloribus ;

Quàm vellet infantis Magistri
 Sola graves tolerare poenas!
 Misere fletus sanguinis æmulos
 Non cessat, altans victima victimæ:
 Christus silendo, nil rependit:
 Quàm melius probat hinc amantem!

MARIA sacro sœucia vulnere,
 Jam non dolendum quid Dominum dolēs?
 Semper renascens hic amoris
 Unde tibi violentus ardor?
 Quem quæris ipso funeris in sinu,
 Victo triumphat funere clarior.
 Vivit: reposito jam sepulcro
 Ecce jacent revoluta saxa.
 Myrrham quid affers, vanaque balsama?
 Hæc luce functis debita munera:
 Mox ille donandos Olympo
 Non eget his redivivus artus:
 Ingens amantem te dolor indicat,
 Amans vicissim se Deus obtulit;
 Agnosce vocem tu Magistri
 Nomine te proprio vocantis.
 Tu prima testis, primaque nuntia,
 Velox in urbem protinus advola,
 Christique nutantes Ministros
 Plena Deo propiore firma.



XXV. JULII.

DIVO JACOBO MAJORI DICTO,

A P O S T O L O.

Q u o s Christus assumpsit tibi

Electus inter intimos,

J A C O B E , nunc adi tuo

Dicata templa nomini.

In hac tibi festâ die,

Quos Christus ipse detulit;

Quâ surgit , & quâ sol cadit;

Tuos honores pangimus.

Tu singulari munere

Myfteriorum particeps;

Nil fecit , & nil pertulit

Homo Deus te nescio,

Montis sub alto vertice;

Se , nube ruptâ corporis,

Cessante tum miraculo

Tibi Deum confessus est.

Tibique visus est homo;

Dirâ propinqui funeris

Quando pavens imagine

Horrescit , oblitus Dei.

Tali magistro subditus

Discis pati , discis mori;

Fudit tibi qui sanguinem,

Illi memor fundes tuum.

Pater , tuus cum Filio,

Et cum tuo da Spiritu,

Venire per viam Crucis

Ad vera coeli gaudia.

Vox æterna Patris, deque Deo; Deus;
Terris factus homo, Christe; quot artibus;
Quantis illecebris; quos tibi destinās,

Ad te fortiter allicis!

Ut vox una Dei condidit omnia;
Sic vox una rudes traxit Apostolos;
Pisces, rete, rates, & patriam domum

Linquunt immemores sui.

Non jam solliciti pabula corpori
Quærun, jam melior quos reficit cibus;
Exuti properant omnibus, ad sonum

Primæ vocis, Apostoli.

Quæ fratres geminas ambitio premit!

Ardentes nimium sed, reprimis Deus;

Quæ mox ipse bibes, ut pariter bibant;

Illis pocula porrigis.

Illis quanta latent omina poculis!

Postquam de pateris ebiberint, suo

Implebant pateras sanguine martyres;

Et sic, Christe., litabitur.

Votis, morte obitâ, qui fruitur suis;

Et pro jure, Deo proximus affidet,

Christi primus erat funeris æmulus,

Jam confors quoque gloriæ.

Si nos respicias, ibimus, ibimus,

Quò tu cumque vocas, quòque jubes sequi;

Rerum deposito pondere liberi,

Ad te, Christe, volabimus.



QUANTIS te cumulat Christus honoribus,
 Poenas cum moriens te vocat in suas !
 Hâc, JACOBE, tibi, quam cupias, nequis
 Major crescere gloria.
 Qualis, quantus honos ! clam tibi conscio
 Se terris hominem, se probat & Deum.
 Quæ sub nube lateant omnibus, hæc tibi
 Pleno nuda patent die.
 Tu, Morti trepidæ cum Deus imperat,
 Fidus testis eras ; restituit Patri
 Jam flecti docilis Mors fera præcoci
 Raptam funere filiam.
 Vel mortalis adhuc, corporis immemor
 Totus monte super tunc patuit Deus,
 Ut tu magnanimâ sustineas fide,
 Ingens opprobrium crucis.
 Dedita Deum sulcipere hospitem ;
 Tu pro jure tuo nubibus imperans
 Stravisses penitus fulminè ; sed Deus
 Obstat, servat & oppida.
 Non solus moreris ; prædator impiis
 Qui te iudicibus tradidit, æmulus
 Tecum Martyr erit, criminis & notam
 Fuso sanguine diluet.
 Poscenti veniam parcis, & osculo
 Firmas pacifico ; tum moriens tuam
 Transfundens animam sacra per oscula,
 Das tecum pariter mori.



Pro Translatione D. Jacobi ad libitum.

Nos juvat sancto loca sacra ritu ,
(Dux iter pandit Pietas) adire ;
His locis spirat rediviva in ipso
Funere virtus.

Unde concursus , via fervet omnis ?
Itur ad sacros cineres J A C O B I ,
Quo salus prodit , volat ad sepulcrum
Ultimus orbis.

Omnis huc ætas studiosa tendit ,
Se ligat votis , patriam relinquit ,
Asperos montes Amor , obviosque
Transiit amnes.

Hic opem supplex sibi quisque poscit ,
Ut Deum flectet precibus , Patrono
Indiget tanto ; favet ille , promptam
Fertque salutem.

Lassus , in pœnam scelerum , viator ,
Frigoris duri patiens , & æstus ,
Corde mutato sua flet peractæ
Crimina vitæ.

Hic genu flexi sua sceptrâ Reges
Supplices ponunt , simul & coronas ,
Sponte dediscunt titulos , & alta
Nomina Regum.

O mihi semper veneranda tellus !
Quæ sinu servat quod & ipsa Roma
Pignus ambiret , nimis hœc beata
Pignore tellus.

Tollit Hispanas caput inter urbes .
Illa , quæ sacro sovet ossa busto ;

III H Y M N I S A C R I

Sanctitas omnis venit unde , magnæ
Et decus Urbis.

Vita , Lux mundi , Via Veritasque ,
Exules duc nos , ubi , Christe , regnas ;
Dum dies lucet properemus , & nil
Tardet euntes :

Laus Deo Patri simul atque Nato ,
Ut nos reducat , peregrinus ille
Venit in nostras , operante sancto
Flamine , terras.

I. A U G U S T I.

IN DIE S. PETRI AD VINCULA

PETRUM , Tyranne , quid catenis obruis ?
Jubesque condi carceris nigro specu :
Quid tæxæ satelles ante limen excubat ?
Carcer , satelles , vincla non PETRUM tenent.

Fulgens ab alto venit Ales æthere ;
Recedit horror , & fugat noctem dies :
Jubente Christo rupta vincla concidunt ,
Panduntur ultrò clausa ferro limina.

Cœlestis ille ductor ostendit viam :
It PETRUS , atque somnium , quod fit , putat :
Verùm , recepta mente , victricem Dei ,
Sua salutis certus , agnoscit manum.

Lux nostra , Christe , nostra libertas , vides
Quibus catenis obruant nos crimina ,
Et quanta nostris incubet nox mentibus ;
Cæcis diem fer , rumpe victis vincula.

QUI Christiano gloriantur nomine,
 Ahena frustra vincla captivos tenent;
 Frustra satelles servat insomnis fores,
 Inter catenas mente stant libertimâ.

Ornant revinctos, invidendæ compedes,
 Nec ponderosæ, quas Amor leves facit;
 Non densa tetri carceris nox obsidet,
 Æterna summo quos manet cœlo dies.

Dulces catenæ! quæ reum non arguunt,
 Sed Christi amantem quæ probant Apostolum;
 Regum coronis, aureis monilibus,
 Vos sacra pluri æstimamus vincula.

Patri supremo sit suprema gloria,
 Tibique laudes totus orbis concinat,
 Æterne Fili splendor æterni Patris;
 Compar sit almo laus, decusque Flamini.

IN INVENTIONE CORPORIS S. STEPHANI.

OBSCUROS tenebris, Christe, vetas præmi,
 Clarâ qui pugiles te nece prædicant.

Quæ sub nocte jacent, temporibus suis

Hæc pleno retegis die.

Quæ celata diu pulvere situ,
 Monstras ossa tui splendida Martyris.

Ad cujus cineres curritur, & suus

Siccis est honor ossibus.

Flores è tumulo vim medicam trahunt;
 Et cæco subitum restituant diem.

Qui dux ipse sui, jam repetit domum,
 Coeli munere laetior.

Ultor nempe Deus non merita neque
 Sacris opprobrium pensat honoribus.
 Claros prodigiis ac venerabiles
 Ipsos vel tumulos facit.

VI. AUGUSTI.

DE TRANSFIGURATIONE.

Hoc, iussa quondam rumpimus,
 Festo die, silentia,
 Celata dudum jam deest
 Vulgare nos mysteria.

Montis sub alto vertice
 Tribus vocatis testibus,
 O Christe, visus haecenus
 Terris homo, pates Deus.

Tuae latens lucis jubar
 Sacros in artus effluit,
 Vestis tuo te numine,
 Tibique totus redderis.

Caelo tonante, protinus
 Audita summi vox Patris,
 Te, nube ruptâ, Filium,
 Quo gloriatur, asserit.

Hic est Magister omnium
 Quem pronus orbis audiat:
 Silete mortales; Deus,
 Qui nos docet, fatur Deus.

Fons lucis æternæ, Deus,
 Qui nube nostri corporis
 Das temperati numinis
 Blandâ frui præsentia.

Cessante jam miraculo,
 Quo te premebas hactenus,
 Mortale quidquid sumpteras
 Splendore circumfunditur.

Res gerendæ conscius
 Fidos sodales eligis;
 Ut qui tuæ testés necis,
 Testes tuæ sint gloriæ.

Ad altra curru flammeo
 Qui raptus olim transiit,
 Sub mole lucis obrutus,
 Vix te tuendo sustinet.

E fronte qui lucem vibrat
 Cedit tuis fulgoribus:
 Vetusta lex jam se pavet
 Legi novæ componere.

Qui nube ruptâ te palam
 Natum vocavit, laus Patri.
 Tibique Nato, nec minor
 Laus utriusque Flamini.

QUAM nos potenter allicis!
 Te, Christe, quando detegis:
 Te quando celas, providus
 Nobis peræquè consulis.

Hic nos adoptat filios
 Qui te vocavit filium:

Sponsor futuræ gloriæ

Dat certa nobis pignora.

E nube quid Pater probat?

De monte quid, Fili, doces?

Umbris procul cedentibus,

Restabat una Veritas.

Ut iussa Patris impleas,

Mactanda mundo victima,

Formam resumens pristinam,

Mortalitati redderis.

Fac, Christe, qui nobis lates,

Obscura dum regit fides,

Fraeto solutos corpore,

Nos te videre, te frui.

Qui nube rupta te palam

Natum vocavit, laus Patri,

Tibique Nato, nec minor

Laus, utriusque Flaminij.

VII. AUGUSTI.

DIVO GAETANO

THEATINORUM INSTITUTORI.

SANCTA quot coeli capit aula Sanctos,

Ter Deum dicant sine fine Sanctum:

Quas vident qutes celebrent, nec uno

Carmine pangant.

Prædicent Regem, Dominumque mundi,

Prædicent justum; GAETANE, cunctis

Providum terris tibi prædicare

Convenit uni.

Illa vox Christi cupidas in aures
 Missa, quâ, curis procul abdicatis;
 Unicam coelo jubet ante cuncta
 Quærere gazam.

Illa vox pectus penetravit altum:
 Hanc Deo plenam capis ecce primus.
 Divitem quæ te spoliavit, ipsa
 Ditat egenum.

Quod Dei sacro semel ore fluxit;
 Irritum nunquam; manet audiendum
 Omnibus seclis, docet & remotas
 Tempore gentes.

Sponte qui cedunt opibus paternis;
 Non tamen curas penitus relinquunt.
 Cuncta spondenti dubii recusant
 Fidere Christo.

Laus tibi major, tua dum relinquis;
 Fit tibi dives Deus ipse fundus;
 Ipse te pascet bonus, indigenti
 Omnia Christus.

Cujus ad nutum populo gementi
 Præbuit rupes liquefacta potum;
 Ille vel duris pluvias ab astris
 Exprimet escas.

Te canam sanctis similem Prophetis;
 Quosque provisor Deus educabat
 Nil cibos curas, nisi quos egeo
 Mittat Olympus.

ROMA quos desert titulos, recusas:
 Te triumphantem super astra tollet;
 Scribet æternis veneranda semper
 Nomina fastis.

Dicet exhaustum prope qui necarunt
Corpus, immensos animi labores;
Dicet ut lapsum decus & Ministris
Reddis & aris.

Quæque celasti, pia facta pandet;
Quippe nesciri cupidus latebas:
Pauperes inter, magis ipse pauper;
Inter & ægros.

Regio fundas nova testa sumptu
Omnibus semper patefacta morbis;
Quos potens verbo, medicæque dextrâ
Ipse levabas.

Inde Venator meritò vocaris;
Mille qui captans animas per artes;
In tuos casses & amica Christi
Retia tridis.

Ense dum stricto minuitur hostis
Exigens à te furiosus aurum,
Pauperes pauper, tua sustulerunt
Qui bona, monstras.

Quas facit plagas inimica dextra
Excipis latus, tua dextra quando
Sævior totos lacerabat artus
Vulnere multo.

Fac, Deus, sic nos inopes amare;
Pauperem terris imitando Christum;
Divites ut nos faceret, volens se
Fecit egenum.

Quæda qui pascit, sit honos Parenti;
Filio, qui nos reficit cruore,
Et tibi, qui nos recreas supernâ,
Spiritus, aurâ.

GALLUS auroram resonis salutans
 Cantibus tardum vocat ecce Solem ,
 Prævenis , longas solitus precando
 Ducere noctes.

Te cadens vidit , reperit renascens
 Sol humi stratum , lacrymis madentem :
 Intimæ menti Deus incubabat
 Intimus hospes.

Tot preces inter tibi raptus ipsi ,
 Transvolans nubes , Superos adibas
 Civis & magni prope jam quietus
 Hospes Olympi.

Dum novos ardens studio videndi
 Læta plebs Regis volât ad triumphos ;
 Tu triumphalem proprior recusas
 Cernere pompam.

Cui Deus crescit , peritura vani
 Cuncta decrescunt simulacra mundi ;
 More torrentis fugitivus illi
 Præterit orbis.

Fac , Deus , veris inhiare donis ;
 Da famem de te satiare longam :
 Da simul feci malè blandientem
 Spernere pompam.

Cuncta qui pascit , sit honos Parenti ;
 Filio , qui nos reficit eruore ,
 Et tibi qui nos recreas supernâ ,
 Spiritus , aurâ.



X. AUGUSTI.

PRO SANCTO LAURENTIO

DIACONO ET MARTYRE.

BEATĒ, quò tendis, Pater ?

Quò sancte, pergis, Pontifex ?

Offerre temet victimam

Me non ministro quid paras ?

Levita, qui jussu tuo

Christi propinat sanguinem,

Litare promptus & suum,

Ibit comes **LAURENTIUS**.

Audiris ; ē cœlo Deus

Majora spondet prœlia,

Brevi ducem nec degener

Patrem sequēris filius.

Oblata Christo munera ;

Opes sibi tot creditas,

Quas Rex avarus exigit,

Custos fidelis denegat.

Addit preces, addit minas ;

Minæ, precesque nil inovent,

Non hos, profanas in manus

Venire thesauros sinet.

Monstrans egentium squallidos

Quos ipse pascebat greges ;

Hæc turba, dixit, quas sitis

Opes, olympto transtulit.



FRUSTRA parantur compedes,
Armata plumbo verbera,
Et rubra crates ignibus,
Ardens cubile sternitur.

Christi pugil, latus mori;
Poenisque magnis debitus,
Hanc irretorto lumine,
Pompam dolorum respicit.

Nudos in artus sæviunt;
Scissæ flagris carnes volant;
Tortoris ad fastidium
Truncus jacens relinquitur.

Sed ille fracto corpore
Servare pectus integrum;
Suo cruore tingitur
Lustranda flammis victima.

Æterne cunctorum Pater;
Æterne Fili, par Patri;
Et par utrique, Spiritus;
Uni Deo sit gloria.

NONDUM satis dignum Deo

Christi probasti militem,
Tyranne, cruda sint tui
Furoris hæc præludia.

Imposta membra cratibus
Ardente prunâ servidis
Despectat exultans, suo
Et ipse plaudit funeri.

Altis medullis intimus
Tostos per artus it dolor;
Menti Deus sed intima
Præsens dolorem temperat.

Dum corpus in flammis abit,
 Mens intus ardet fortior,
 Sacris profanos comprimens
 Ignes retundit ignibus.

Corpus perultum Martyris
 Horret vel ipse carnis ex,
 Sed thuris instar, dum perit,
 Deo litatur gratius.

Flammis in ipsis, cum rosis
 Visus sibi quiescere,
 Versa, tyranne, pascere,
 Assata, dixit, viscera.

Quid inter ardentes rogos
 Sensum doloris abstulit?
 Te nempe potus ebrium
 Sanguis Dei jam fecerat.

O pura, quæ Deo places;
 Igni probata victima!
 Fac nos sacris urat Deus,
 Quibus flagrabas ignibus.

XV. AUGUSTI.

IN ASSUMPTIONE

BEATÆ VIRGINIS Mariæ.

O vos ætherei plaudite cives,
 Hæc est illa dies clara triumpho,
 Quam matrem placidam morte solutam
 Natus sideream suscipit aula.

Quæ non, Virgo, tibi dona rependit?
 Cæli divitias explicat omnes;

Verbum vestieras carne , vicissim

Verbum te proprio lumine vestit.

Qui sub corporeâ nube latebat ,

Nudo se penitus numine monstrat :

Et quem virgineo lacte cibasti ,

In jugem tibi dat se Dens escam.

Quæ concessa tibi , Virgo , potestas !

Per te quæ veniant munera terris !

Cunctis coëstitibus celsior una ,

Qualis ! quanta ! Deo quæ minor uno.

Quæ regina sedes proxima Christo ,

Alto de folio vota tuorum

Audi , namque potes flectere Natum ,

Virgo mater , amas nos quoque natos.

Divinæ Soboli , qui dare matrem

In terris voluit , gloria Patri ;

Cujus virgo parens , gloria Nato ;

Quo fœcunda , tibi gloria , Flamen.

HOSPES quæ nova nunc addita coelo !

En se tota positi regia pandit ,

Ruptis Virgo parens libera vinculis ,

Caro se properat reddere Nato.

Quantùm delituit paupere testro ,

Tantùm sideribus fulget in altis ;

Se velare , quibus mater amabat ,

Densas Natus amat rumpere nubes.

Olim quæ fuerat nupta marito ,

Et de connubio credita mater ,

Totum jam colitur nota per orbem ,

Matris cum titulis , integra Virgo.

Ancillam Domini se modò dixit ,

Nunc coeli dominam suspicit orbis.

Quæ tot passa neces , prolis amore ,
Jam secura , fruens prole , triumphat.

Nostras , ô nova lux , discute noctes ;

O regina , graves solve catenas ;

Cæcos , stella maris , dirige cursus ;

Da , quo jam frueris , cernere Natum.

Divinæ Soboli , qui dare matrem

In terris voluit , gloria Patri ?

Cujus Virgo parens , gloria Nato ;

Quo foecunda , tibi gloria , Flamen.

NUNC Aurora , novæ nuncia lucis ,
Tristes orbe procul dissipat umbras.

O quàm lucidior , nocte sepultis

Portans ipsa diem , Virgo resulges !

Quæ stat sub pedibus , splendida luna ;

Te præsentem , minis fulget olympo :

Resplendes radiis Solis amicta ,

Et bis sena caput sidera cingunt.

Ut gaudes humiles linquere terras ,

Te propter , patrias deserit arces ,

Et servire tuo , dum petis astra ,

Certat coelituum turba , triumpho.

O quæ nunc habitas lucida regna ,

Mittas inde tuæ munera lucis.

Te si terra dedit munus olympo ,

Quæ non dona memor reddet olympus ?

Inter perpetuos numinis haustus ,

O regina , tibi sanguine junctum

Ne dedisce genus , nostra fuisti ,

Summi facta parens , Virgo , Tonantis.

AURORA, quæ Solem paris,
Et ipsa Solis Filia,
Quam splendidum, cum nasceris,
Affers diem mortalibus!

Sed ille quam festus dies,
Quo longa post suspiria,
Mater vocanti filio,
Regina regi jungeris!

Ad astra mille te vehunt
Pennis ministri Spiritus:
Ambit suo te numine
Qui te vocat matrem, Deus.

Quid hoc triumpho clarius,
Cujus Deus pars maxima?
Hærent in unâ Virgine
Fixi, stupentque cœlites.

Ut castra, quæ bellum parant
Nudis in armis horrida,
Sic Virgo formidabilis
Turmas averni dissipas.

Qui tabe nos infecerat,
Serpens, profundo vulnere
Confossus æternum jacet:
Et hoc trophæum Virginis.

Sit laus Patri, laus Filio,
Sit laus tibi par, Spiritus,
Per quem sacrâ se Filius
Infudit alvo Virginis.



XV. AUGUSTI.
DIVO FRAMBALDIO.

UNDE, FRAMBALDI, tibi blandientem
 Deferis Regum fugitivus aulam?
 Unde blanditur magis horror antri,
 Et fugis urbes?
 Spe suâ Infus Pater inquietus
 Te per obscuros nemorum recessus.
 Quærit; invictâ velut arce tutus,
 Te tegis antro.
 Quin & immanem propè fons cavernata
 Limen occludit, superante fluctu,
 Hospitem servat; fuit unda muri
 Instar aheni.
 Te quis avellat? tenebræ timentur;
 Te tenet Christi melior catena.
 Te tamen pellet, tua quam tegebas;
 Cognita virtus.

XX AUGUSTI.
SANCTO BERNARDO ABBATI.

QUEM jubes inter nemorum latèbras,
 Christe, desertas habitare valles,
 Ille pacando repetetur olim
 Arbiter Orbi.
 Hæreses contra, nova monstra, surget;
 Pristini mores renovabit ævi;
 Tradet & feris rediviva Patrum
 Dogmata seclis.

E sinu matris dederat vel infans
 Grande virtutis specimen futura :
 Senferat mater gravis , obstupendis
 Territa visis.

Hujus ut primos habeas amores ,
 Qualis è castâ genitricis alvo
 Nasceris , talem puero revelat
 Se Deus infans.

Per leves quæ non manifesta somnos
 Haussit à muto documenta Verbo !
 Interim blandis pueri liquecunt
 Pectora flammis.

Inde mellitis sapor ille verbis ,
 Easteus scriptis venit inde candor ;
 Dum sacros Sponsi simul atque Sponsæ
 Explicat ignes.

Quos tulit castus Juvenis triumphos !
 Mollè gliscentes teneros per artus
 Vincat ut flammæ , glaciæ rigentes
 Se dat in amnes.

Igne flagrabat meliore pectus ,
 Non capit se se facer intus ardor ;
 Fervidos Christi , quot erant sodales ,
 Fecit amantes.

Patris & Nati recinendo laudes ,
 Mutuum linguæ celebrent Amorem ,
 Omnis & mundi plaga tres in uno
 Numine adorent.

Tu nuper sterilis , pande sinum , domus ,
 Nunc fecunda novos concipe filios.
 BERNARDO Patre qualem ,
 Mater , progeniem dabis !

Hi sunt prima velut semina grandium ,
 Quæ sublimè ferent mox caput , arborum ,

Quæ diffusa per orbem
 Latè brachia porrigent.

Nesciri cupidus , cum juvenum manu ,
 His BERNARDUS amat vallibus oculi ,

Sylvarumque profundis
 Se celare recessibus.

Ardet mille modis ante diem mori ,
 Quidquid mors rapiet , jam sibi præripit ;

Nil hæc auferet illi ,
 Qui se se priùs exuit.

Illic mens loci corporis immemor ,
 In se tota redit : non oculi vident ,

Ori non sapit esca ,
 Surdis nil sonat auribus.

Quin & luminibus furripitur sopor ,
 Ægro vix sua sunt pabula corpori :

Jam , poenas sitientem
 Poenæ deficiunt novæ.

Juratam Domino ne violet fidem ,
 Ut voti reus est se probat in dies ;

Se se interrogat ultro ,
 Et Quæsitior & Arbiter.

Quo passu novus hic progreditur gigas ?

Quisnam discipulus , qui regit & docet ,

Quisnam tyro , magister ?

Quis miles datus in ducem ?

Æternus sit honos ingenito Patri ,

Sit par unigenæ gloria Filio ;

Sacri Nexus amoris ,

Laus compar tibi , Spiritus.

FLECTANT alta tibi se juga montium,
Vallis clara, casis ipsa nec audeant

Se componere parvis,

Regum magna palatia.

Testis pauperibus quos capis hospites;

Tangunt sidereas verticibus domos:

O felix domus! astris

Sedes nulla propinquior.

Quæ spelunca fuit conscia criminum;

Christi sancta novo fit domus hospite,

Et quæ cæde madebat,

Fusis fit sacra fletibus.

Hos valles habitant alta silentia,

Nil præter gemitus vallibus insonat:

Attentâ Deus aure

Audit vota gementium.

Oblitos videas hic homines sui,

Se miris adeò conficiunt modis:

Hortans urget alumnos

Dux BERNARDUS, & anteit.

Per Soles rapidos, duræque frigora,

Exercebat humum; continuus labor

Et jejunia longa

Vires corporis atterunt.

Sacro quanta loqui discit in otio!

Dum nullo strepitu, voce sed intimâ;

Fagos inter agrestes

Illi se reteguit Deus.

Æternus sit honos ingenito Patri,

Sit par unigenæ gloria Filio,

Sacri Nexus amoris

Laus compar tibi, Spiritus.

Fvj

O QUI sub alto vertice montium ,
 Latè videndam lampada præcipis
 Fulgère , cur tantam profundâ
 Valle sinis latitare lucem ?
 Erumpat altis abdita fastibus ,
 Sonet per urbes plena Deo tuba.
 BERNARDUS , ut componat orbem :
 Quo latitat retegatur antro.
 Castris relictis hunc adeunt Duces ,
 Se , sceptrâ suddunt , & diademata ,
 Summumque natantes requirunt
 Illius arbitrium Tiaræ.
 Quis ille pannis vilibus oblitus ,
 Ultrò sequentes qui populos rapit ?
 Iussæque morborum recedunt
 Cujus ad imperium cohortes ?
 Vis quanta verbi ! curritur , advolant
 Nati , parentes , & sua deferunt.
 Ab hujus omnes ore pendent
 Et populis viduantur urbes.
 Parebat æther ; vis ruit imbrium ,
 Sacras timebunt lædere litteras :
 Frumenta defint , plena messes
 Horrea mox subitas ministrant.
 Quin Dux rebellis territus ad sacros ,
 Præstante Christo , procubuit pedes ?
 Mores ferinos mollis agaus
 Consilio meliore ponit.
 Si tanta terris , quanta potest modò
 Receptus astris ! quâ graditur viâ ,
 Sequamur omnes , nos olympo
 Ecce vocat Pater almus. alto

Fac, Chrifte, tanto ne Patre torpeat
 Orbata proles; nos super effluat,
 Et rore nos omnes inundet
 Concha velut cumulata largo.

XXVIII. AUGUSTI.
 DIVO AUGUSTINO
 HIPPONENSI EPISCOPO.

QUID non, Chrifte, potes! nescia cedere

Ut gaudes sine vi rumpere pectora!

Ut victrice manu quos subigis, tuæ

Formas militiæ duces!

Insanâ tumidus dum sapientiâ

AUGUSTINUS ovat, nec patiens regi.

Spreto, ferre prius quod decuit, iugo

Vanis servit amoribus.

Errorum tenebris ut premitur miser,

Lucem quærit amans, quam trepidus fugit.

Pectus sollicitam hinc bona gaudia,

Hinc rursus mala distrahant.

At cum plena suo lumine Veritas

Affulsit Juveni, territa nox fugit.

Et divinus Amor sacrilegos pias

Ignes ignibus excutit.

Quas victus lacrymas, quos penitus dedit

Altè, corda domans Spiritus incubat.

Rumpit vincla, sacro lumine tingitur.

Christi liberior iugo.

Tum quæsitâ diu pax animo redit.

Vanescunt dubiæ lucis imagines.

Sublimi placidæ mentis in otio.

Vero lumine pascitur.

Qui lucis Pater est, gloria sit Patri;
 Qui lux ipsa Patris, gloria Filio;
 Amborumque tibi, Nexus amabilis,
 Compar gloria, Spiritus.

NUNC cœlo, stygiis libera pestibus

Effer conspicuum, Relligio, caput:
 AUGUSTINUS adest, cedite Tartara;

Tanto cedite lumini.

Sacris, unde Deum plenius hauserat;
 Pectus multa capax imbuerat libris;

Illi nuda patent, quæ fuerant prius
 Densis obsita nubibus.

Tantis quanta venit de tenebris dies!

Vires inde novas, hinc animos refert;

Armis, unde Erebi tela retunderet,

Se cœlestibus induit.

Hinc hostes calami figit acumine,

Illinc ore potens fulmineo tonat.

Christi vellit agro, quæ segetem necant

Errorum mala semina.

Christi Sponsa, novas scissa per hæreses;

Per te tuta suis fulget honoribus,

Cui dos una fuit, pactaque desuper,

Simplex, unaque Veritas.

Astos diffidii, & malè transfugas,

Ut priscae fidei restituas Patres,

Ter centum, duce te, Pontifices suis

Se se sedibus abdicant.

Quæ vis blanda Dei te rapuit tibi;

Illam gratus amas pandere posteris,

Ut Natura tremens insuperabili

Cedat subdita Gratia.

ASSERTOR Fidei summus, & arbiter,
 Inconcussa stetit quo duce Veritas,
 Dicet Religio, te pariter suum
 Dicet Gratia vindicem.

Tanti vix capient flumina luminis,
 Scribis plena Deo mille volumina,
 Omnes unde bibant largius, & Deum
 Puris fontibus hauriant.

Dictat nempe tibi, qui Deus assidet,
 Scriptis ipse præest, ipse regit munus,
 Cœlestes aperit non penetrabilis
 Thesaurus sapientiæ.

Fidens ingenio nec caput efferas,
 Mentis prima vagæ, vulnera detegis,
 Excelso raperis quò propior Deo,
 Hôc sis tu tibi vilior.

Judex ipse tui, te prior increpas,
 Ipsi censor eras difficilis tibi,
 Promptus, legitimis quæ malè discrepant
 Scriptis, scripta refellere.

Doctor jam docilis, magnanimus sequi
 Quo te cumque vocat prævia Veritas.
 Quâ solâ regeris, rebus in arduis
 Hâc solâ regis omnia.

Nil damnas temerè, nil leviter probas,
 Antecepta certa Dei lumina consulis,
 Cedis sponte, tibi vincere nam pudor,
 In quo cedere gloria.

Natos, alme Pater, sedibus è tuis,
 Si te nostra movent, nos, bonus, aspice;
 Flammas ure tuis frigida pectora,
 Et mentes dubias rege.

AUREA, qui nunc olympo
 In stola stas Pontifex,
 Nube Verum qui remotâ
 Jam vides securius:
 Hæc dies, quem concupisti,
 Dat Deo toto frui.

Tu rudes doce, magister;
 Nos tibi qui subdimur;
 Finge pectus, & liquecat
 Igne, quo nunc ureris;
 Promove dulce lac alumnis,
 De cibo, quo pasceris,

Nos opes jubet paternas;
 Arva, fundos liuquere;
 Pauperes sic nos adoptas,
 Divites nos respicis.
 Quisque quod suum relinquit,
 Cuncta sunt communia.

Una nos domus, sub una
 Lege servet hospites:
 Una mensa pascat omnes;
 Una sit mens omnibus:
 Jungat una pax quietos;
 Una sit lex, Caritas.

Nocte multa tu sepultis
 Fer facem, dux prævius:
 Quæ reducant nos olympo
 Fac, tenere feminas;
 Quod notas iter, sequamur;
 Ad Deum nos ibimus.

Suprema laus sit Parenti;
 Qui creavit omnia;

Filioque, qui redemit
 Morte nos volens suâ ;
 Flaminique, cuius almo
 Recreamur halitu.

XXIX AUGUSTI.
 IN DECOLLATIONE

SANCTI JOANNIS-BAPTISTÆ.

Ecce saltantis pretium puellæ,
 Fertur in disco caput amputatum :
 Hæc cruentatis nova proferuntur
 Fercula mensis.

Quæ rudes sylvis populos docebar,
 Quæ suâ reges tremefecit aula,
 Illa vox eheu ! gladio resecta
 Muta silebit.

Occidit Vates, & adhuc timetur :
 Vox filet Verbi, cruor ille clamat,
 Atque fraterni temerata damnat
 Fœdera lecti.

Nube sub densâ jubar involutum
 Venerat cæcis aperire terris ;
 Sole jam pleno, velut umbra, cesser
 Lucifer orbe.

OMNIBUS manat error ecce venis,
 Hinc sitim longam satia, Tyranne,
 Et cibos inter, paterasque, puro
 Sanguine liba.

Ut caput vidit dapibus sub ipsis
 Tristè fumanti fluitare tabo,
 Hæsit, impastis fremuitque mensis
 Funeris auctor.

Palluit cœlum, trepidavit aula,
 Ipsa se se horret feritas Tyranni;
 Sola saltatrix ovat, execrandi
 Conficia facti.

Non tamen frontis gravitas verenda
 Cessit immiti violata ferro,
 Dura mitescit placido sub ore
 Mortis imago.

Qui suo nascens Domino præibat;
 Morte crudeli prior immolatus,
 Ille, mox diro notat immolandum
 Funere Christum.

XXIX. AUGUSTI.

SANCTO MEDERICO ABBATI.

QUIS Parisini novus hospes agri,
 Cui novam, Petri veteri sub arâ,
 Ambiens civis duplicem Patronum,
 Consecrat ædem?

Clarus exemplo, meritis abundans,
 Et potens verbo, MEDERICUS hic est;
 Hujus in laudes sociate cantus,
 Civis & hospes.

Flore sub primo viridis juventæ,
 Patriam dulcem, simul & parentes;
 Dulcius cœlum meditans profundâ
 Mente, reliquit.

Ille , qui semper data iussa patris
 Promptus implebat , docilisque semper ,
 Spiritu ductus meliore , temnit

Iussa parentis.

Vidit ut natum benè contumacem ,
 Paruit nato pater , & negatum ,
 Mente sedatâ tibi , Christe , reddit ,

Et vovet aris.

Liber ut curis , strepituque rerum ,
 Vix domo sanctâ juvenis receptus ,
 Cùm palâm virtus metuens videri ,

Nota refulsit.

Laudis irrepit mala ne cupido ,
 Hirta quæ letis riget , atque ferro
 Jam fatiscentes lacerabat artus

Intima vestis.

Qui diu pro te voluit latère ,
 Et graves pro te tolerare poenas ,
 Illius fac nos prece , Christe , duos

Ferre labores.

Patris & Nati recinendo laudes
 Mutuum linguæ celebrent Amorem ;
 Omnis & mundi plaga tres in uno

Numine adorent.

QUID lates ? tandem , MEDERICE , prodi !
 Te ducem poscunt , quid adhuc repugnas ?

Primus elatâ face , tu sodales

Ante volabis.

Annuit victus precibus suorum ,
 Quos , regi semper cupidus , regebat ;
 Ne cadat , sedem timet eminentem ,

Tutus in imâ,

Ad novum munus nova signa crescunt :

Ufferit si quem malè sanus ardor ,

Vel levi tactu tunicæ protervos

Comprimit ætus.

Liba dum præbet sacra , mox furentis

Sedat immanes animi procellas ;

Carceres pandit , reus exit arctâ

Compede liber.

Jam suâ sanâ stupefactus , altos

Nil sibi fidens fugit in recessus ,

Quæritur sylvis , penetrantur antra ,

Tecta ferarum.

Sylva mox prodit , malè quem tegebat.

Flevit inventus , sua damnat antra ,

Ut suis vivat fruiturus umbris

Instat & urget.

Quis tibi flenti , **MEDERICE** , sensus ?

Cum tuus cogit , minitante poenâ

Pontifex , curam bonus ut resumas

Pastor ovilis.

Quæ fuit nigræ nova lux cavernæ ;

Dum eavos Præsul penetrat recessus ?

Cedis invitus ; trepidans amatam

Linquere sedem.

Qui Deus cedros quatis , & revelas.

Densa sylvarum , tibi laus perennis.

Absque te , terris **MEDERICUS** altâ

Nocte jaceret.

QUAM tuos summo cumulas honore !

Qui tui causâ fugiunt honorem ,

Christe , quam prudens retegis profundâ

Nocte sepultos !

Qui procul magnas fugiebat urbes,
 Qui Parisino latitabat agro,
 Ecce reginam MEDERICUS omnem
 Personat urbem.

Martyris suprà tumulum sacerdos
 Ritè solemnes statuebat aras;
 Non minor noster MEDERICUS isto;
 Gaudet honore.

Templa se tollent, ubi cella sanctum
 Hospitem densis tenebris tegebat;
 Illius sacros cineres coronat
 Ardua turris.

Turre de cella, facis instar, ardet;
 Hinc regit gressus dubius viator.
 Illius nomen sonat, omniumque
 Vivit in ore.

Hic fuit vitæ, fuit hæc laborum
 Meta quam Christus posuit, futuræ
 Mente dum certâ benè providendo
 Consultit urbi.

I. SEPTEMBRIS.

S A N C T O L U P O

EPISCOPO SENONENSI.

C U J U S ad vocem simul obsecrari,
 Spontè templorum patuère postes,
 Intrat æternis radiata flammis
 Templi Sacerdos.

Cœlites inter, meritâ careret
 Laude, qui templo puer excubabat;

Cantibus sacris solitus quietas

Rumpere noctes.

Quis tuos, Regum soboles avorum;

Splendidos signis memorabit ortus,

Pontifex castâ propè consecratus,

Matris ab alvo ?

Præfulum curâ teneris ab annis

Hauferas puræ documenta vitæ ;

Teque crescentem Pietas magistra

Finxit alumnum.

Martyrum creber tumulos adibas,

His fides spirat rediviva bullis,

Unde cœlestis nova tu legebas

Semina flammæ.

Quid fugis, dum te vocat ipse summus

Pastor ? impastæ, viden ? ut relictis

Nunc oves caulis, sine te, beata

Pascua quærunt.

Ut gregis vocem miseratus audit,

Mox pedum sumit trepidante dextrâ ;

Sumit & curas, neque jam recusat

Ferre labores.

Nempè jejunos dape, veste nudos;

Hospites tectis recreabat omnes,

Blandiunt mulcens graviora curis

Corda levabat.

INVIDO nunquam caret hoste virtus;

Pellitur carâ procul urbe Præful;

Civitas omnis viduata sancto

Præsule flevit.

Integrum pectus, scelerisque purum;

Nulla vis sævi quatiat tyranni:

Non reformidat fera sævientis

Vulnera linguæ.

Regis edicto venerandus exul,

Neultriæ partes abit in remotas ;

Hic novum fecit sibi , pro relicto ,

Pastor ovile.

Hic Jovis sternit simulacra vana,

Et novas aras , tibi , Christe , ponit ;

Barbaras gentes docet , & salubri

Abluit undâ.

Exili , Præsul , tua poëna prodest ,

Munus implebas , licet exulares.

Te Fides semper comitata , semper

Te tua Virtus.

Illa quàm felix peregrina tellus !

Quot bonos fructus tulit hoc colono !

Seque dediscens oleaster , ipse

Factus oliva.

Cedat ostensæ modò Veritati ,

Luce tam purâ tremefactus Error ;

Ipsa mentitur sibi Fraus , dolosæ

Conscia culpæ.

Poenitet Regem , sua iussa damnat ;

Exul externis revocatur oris ;

Vir triumphalis remeabat altas ,

Quas beat , urbes.

Quis tibi sensus modò , Pastor ? & quis

Tunc , oves , vobis ? querulæ repertus

Sic puer matri , pueroque mater

Gaudia portant.

Hostibus parcit , cumulatque donis ;

Hinc amat dici Pater atque Pastor ;

Longa compensat magis obstinato

Damna labore.

Christe , Pastorum bonus ipse Pastor ,
 Qui greges pascis proprio cruore ,
 Fac ut æternæ subeant opima
 Pascua vitæ.

DUM minax totam populatur urbem ,
 Illius nutu stetit alta flamma ,
 Carceres pandit , reus exit arctâ
 Compede liber.
 Alter ut Moses , prece , fretus unâ ,
 Arcet à muris inimica castra :
 Ecquis obsessas tueatur arces ,
 Si Deus absit ?
 Ritè dum sacris faciebat aris ,
 Visa de cœlo pretiosa gemma
 In sacrum labi calicem , Deique
 Sanguine tingi.
 Cœlitus missum stupuere manus ,
 Quotquot adstabant : stupuit Sacerdos ;
 Illa servatur , decus unde nostris
 Additur aris.
 Membra componi tumultanda curat ,
 Virginis juxta cineres Columba ;
 Ut simul juncti comites suprema
 Luce resurgant.
 Quin sepulcrales , sibi vilis ipsi ,
 Despiciat pompas ; ubi multus imber
 Stillat è testis , voluit sepultos
 Condier artus.
 Viscerum si quem dolor urat intus ,
 Supplici poscat prece te Patronum ;
 Jussus extemplo dolor inquieto
 Corpore cedit.

Christe,

Christe, Pastorum bonus ipse Pastor,
 Qui greges pascis proprio cruore,
 Fac ut aeternæ subeant opima
 Pascua vitæ.

I. SEPTEMBRIS.

SANCTO ÆGIDIO ABBATI.

ÆGIDI, clarâ fate stirpe Regum;

Impulit quò te pietatis ardor?

Te, tuos, linquis profugus, supremi
 Regis amore.

Flore sub primo puerilis ævi,

Non puer docti patiens laboris;

Nempe præclaras animo sagæ

Hauferat artes

Igneus mentis vigor impotentem

Non facit, morum gravitas coercere

Servat immotam, sibi par, sub alto

Pectore mentem.

Sancta majestas sedet ore sancto;

Et pudor frontis locus modestæ:

Ipse splendorem Deus, & verendos

Afflat honores.

Magna jam de se dabat auspicari;

Pauperes, ægros ope sublevabat,

Comis in cunctos animus, supremis

Gratus & imis.

Se probat virtus generosa fastis;

Dente lethali mala mordet hydra,

Arte non doctâ, pice sed medenti

Vulnera sanat.

Æger occurrit malè nūdus artus ;

Velte quem texit miseratus ultro ;

Vestis attactu fugit obstinatus :

Corpore langor.

Fama longinquas cita transit urbes ;

Itur , occurrunt ; via fervet omnis.

Sentiunt omnes simul efficacis

Munera dextræ.

Janque tot signis malè tuta notis

Ferre se Virtus nequit , in profundos ;

Quâ viam monstrat Deus , ardet exul

Ire recessus.

Qui bonis pro te fugit abdicatis ;

Hujus exemplum , Deus , æmulemur ;

Cuncta decrescent , modò crescat unus

Pectore Christum

Sit Patri , sit laus Genito , sit almo

Flamini , sit laus tribus una semper ;

Et tibi cunctis , Deus unus , æqua

Gloria seclis.

QUID fugis præceps dubium per æquor ?

Scandet æratas tua fama puppes ,

Scandet & Virtus tuâ , nec fugacem

Deferet unquam.

Ergo florentes studiis Athenas

Deferis , doctas quoque doctus artes ;

Patriam , cives , bona , res , amicos ,

Teque relinquis ?

Quippe vestigas meditatæ altâ

Mente thesauros , tibi vis latronum

Nulla quos tollat , neque deute venia

Rodat iniquo.

Non metus poenæ , neque Regis ira ,
 Exulem fecit tua sola Virtus ,
 Dum fugis terras , patrium requiris
 Civis olympum.

Non sibi certam , stabilemque terris
 Credulus sperat fore civitatem ;
 Non manu factas , solidas , perennes
 Cogitat arces.

Et caducarum simulacrâ rerum
 Nos tenent terris fugitiva fixos !
 Nos adhuc umbram sequimur ? fugit nos
 Umbra sequentes.

Non ad antiquas , sua testâ , turres ,
 Spontè discedens oculos retorfit ,
 Quò fugax tendit , vigilabat alto
 Fixus olympo.

Ille non curat , ratis acta vento
 Quos petat portus ; sua meta coelum.
 Nil tulit secum , bona supplet unus
 Omnia Christus.

Redditus Francis pius exul oris ;
 Intrat obscuras nemorum latebras ;
 O nimis felix recreata tellus
 Hospite sancto !

Luminis tanti radius nigrantes
 Terruit silvas ; fugit horror antris ;
 Ipsa mansuescit fera , jam prioris
 Immemor iræ.

Dic quibus poenis juvenile corpus
 Plectis , attritum subigisque menti ,
 Semper infensus tibi , durus hostis
 Et tibi , judex ?

Dic dapes ægro stomacho negatas ,

Gutturi sicco latices negatos ,

Dic & orando vigilata longæ

Tempora noctis.

Antra vidistis , Loca sola , Valles ,

Invii Saltus , querulique Fontes ,

Vos & effuso madefacta fletu

Conscia Saxa.

Quæritur ; tectum bene silva prodit ;

Omnium votis rapitur Sacerdos ,

Ritè commissi modò destinatus

Pastor ovilis.

Viribus fractus , moribundus , æger ,

Se suo victu , velat antè , fraudat ,

Quippe prælibat meliora jugis

Gaudia mensæ.

II. SEPTEMBRIS.

SANCTO LAZARO

À CHRISTO SUSCITATO.

REDITUM luci Domino vocante

LAZARUM , turbæ , domitamque mortem

Laudibus festis , modulisque sacri

Dicite cantûs.

Ille , qui Christum meruit frequenti

Hospitem gaudens recreare mensa ,

Fœtidus clauso , data præda morti ,

Conditur antro.

Heu tuâ præsens ope si jacenti ,

Fata , qui præscis , Deus , assistes !

Viveret, necdum premerentur atrâ
Lumina nocte.

Jamque Mors, vitæ Domino solutam,
Si jubes, reddet spoliata prædam;
Nunc & extinctus superas amicus
Surget ad auras.

Ecce dilecti lacrymis honoras
Hospitis fumus, fremituque prodis
Quam pio plangas, Pater, impiorum
Corde ruinam.

Ut Patrem semper pia, Spiritumque;
Omne plebs tecum celebret per ævum,
Christe, credentes animas secundæ
Eripe morti.

PANDITUR saxo tumulus remoto,
Intimos clamor penetrat recessus,
Et Deum sentit docili jubentem
Aure cadaver.

Proh stupor! notas repetit medullas
Spiritus; cæcam pedibus revinctus
Dum viam carpit, sibimet superstes
Prodit, & heres.

Ipsa sic ruptis inimica vinclis
Mors fugit, vinci patiens: futuris
Summa præludit tua sic triumphis,
Christe, potestas.



VII. SEPTEMBRIS.
DIVO CLODOALDO.

Ut Deus nostræ vigilat salutis !
 E malis ipsis bona nostræ ducit.
 Martyres coelo tulit impotentis
 Ira tyranni.
 Sanctitas debet tua se furori,
 Una spes Franci, CLODOALDE, regni.
 Si minùs duri Patruï fuissent,
 Nunc minor esses.
 Dum bonis, regno spoliavit hostis,
 Fecit heredem patriæ supernæ;
 Quid mali fecit? rapuit caduca,
 Æterna rependit.
 Ipse Rex reges numeratus inter
 Nunc locum chartæ brevis occupares,
 Coelites inter modò qui triumphas,
 Addite Divis.
 Te Patris numquam diadema cinxit;
 Ecce cœlestes radii coronant;
 Purpuram regum tuus ille vincit
 Lucis amictus.
 E die quo nunc frueris, vides nos
 Nocte sub quantâ jaceamus omnes;
 Vana quàm mundi simulacra rides!
 Tutus olympo.
 Hujus exemplo, fugiamus altos;
 Qui brevi fato fugient, honores;
 Quæque sors seculi malè blandientis
 Munera spondet.

Summa laus summo super altra Regi,
 Regibus qui dat, repetitque regna;
 Prona cui soli famulatur omnis
 Curia Divûm.

HE U furor ! patris, fuge, Nate, regnum,
 Nate Francorum, CLODOALDE, regni:
 Fratibus cæsis, tua perduelles
 Funera jurant.
 Mater imbelli metuens Clotildis;
 Spiritû jam tum meliore ducta,
 Te domo celat, tegit, imminenti
 Servat ab hoste.
 Arte sic pravas bene ludit artes;
 Regii solam generis tuetur
 Cauta scintillam pia mater, & duræ
 Foemina facti.
 Invident sceptris; tua scepra cedit;
 Scilicet fortis potioris augur,
 Nemo quos tollat tibi, sempiternos
 Optat honores.
 Mox caput tondens, brevior capillo;
 Te Deo votis pius obligasti;
 Regios vili placet in cucullo
 Ponere fastus.

SIC triumphalis puer exul aulâ,
 Te probas regem, dominumque sceptri;
 Rex tui discis, tibi durus ipsi,
 Ponere jura.
 Molle castigas subigisque corpus,
 Qui jacens nudâ sub humo cubabas.

Giv

Immensor sceptri fugis , & remotas
Tendis in oras.

Te Severinus docet ; hōc Magistro
Crevit immensus pietatis ardor.

Te Sacerdotem pia plebs reposcit ,
Præsul inungit.

Monte sub celfo Sequanas ad oras
Proximas Urbi tibi ponis ædes ,
Quas & illustrat tua mors , tuique
Fama sepulcri.

Hic genu flexos quot habes clientes !
Hic tuas Reges venerantur aras ,
Civitas omnis volat huc , stupendis
Excita fignis.

X I V. S E P T E M B R I S.

S A N C T I S M A R T Y R I B U S

C O R N E L I O E T C Y P R I A N O.

P E R quos vera Dei religio stetit ,
Justis Pontifices tollat honoribus ,
Vestro sacra redit Martyrio dies ,
Et vestræ sacra gloria.

Dum per mille neces Impietas furens
Casto Christiadum sanguine pascitur ,
Custos tu fidei , magnanimus mori ,
CORNELI , vigil excubas.

Romæ Pontificem quem timet æmulum ;
Cæsar multa fremens perdere cogitat.
Vires inde capis ; nec renuis graves ,
Quas tinget cruor , insulas.

Jam dudum timido præpositus gregi
 Non quæris latebras , non trepidus fugis.
 Inter mille lupos diræ avidos necis ,

Jus Pastoris erat , morâ

Pastor pro gregibus qui caput objicit ;
 Respirare greges dat sibi creditos ;
 Discunt inde mori : deposito metu ,

Quò dux antest , advolant.

Te non ambitio , nec favor extulit ,
 Te plebs , te procures Pontificem pesunt ;
 Nequicquam pretio quas sibi vindicat ,

Invasor petit infulas.

Nos uno regimur principe milites ;
 Certantes alium non sequimur ducem :
 Spes nos , una Fides , unâque Caritas ;

Hosti terribiles facit.

Sed quid te canimus , maxime Pontifex ?
 Scriptis præco sacer te sonat omnibus :
 Martyr nempe tuæ mortis ut æmulus ;

Sic consors quoque gloriæ.

Patri maxima laus , maxima Filio ,
 Amborumque sacro maxima Nexui ,
 Cujus præsidio prælia sustinent

Fortes funere Martyres.

DIVO CYPRIANO.

JAM Romæ fuerit nobilis æmula ,
 Et par purpureis certet honoribus
 Carthago , decorat quam sacra Martyrum

Fusi purpura sanguinis.

Plectendus gladio Præsul ut audiit
 Diræ edicta , sui nuncia funeris ,

Gv

Grates lætus agit ; ceu moriens olor ,

Hymnos præcinuit Deo.

Ibat qui toties , dum furor impetit

Ferro Christiadas , erudit mori.

Vitam pro Domino fundere prodigus ,

Signat Martyrio fidem.

Non hunc vincla trahunt , qui properat mori.

Illi solus amor , turba satellitum :

Non sic victor ovans , exuviis ferox

Conscendit capitolia.

Ipso sub gladio funeris immemor

Hortatur populum , providet omnibus.

Martyr non metuit tam sibi , quam suo

Pastor sollicitus gregi.

Se se spontè suis vestibus exuit ;

Quem mox luce suâ gloria vestiet ;

Gratus carnifici , qui referat polum ,.

Solvit præmia funeris.

Quid constante reo , pallide carnifex ;

Anceps , & dubiâ tu trepidas manu ?

Ensis quin refugit ; sed furor amputat

Orbi par gemino caput.

Hæc mors magnanimum Pontificem decet ;

Qui se pro populo devovet hostiam ;

Sic Patri moriens Christe litaveras ,

Factus victima , Pontifex.

Implet Romulei Pontificis vices ,

Tristi , dum latitat , nec populo deest.

Solus consulitur , solus & omniuna

Curas Pontificam gerit.

Serves sacra licet jura tenacior ,

Si res justa velit , das veniam reis ,

Vel summo positus montis in exitu ,

Vel quos jam gladius petet.

Et nos, Christiadae, perfida pectora,
 Qui te criminibus, Christe, negavimus;
 Jam jam praeda rogis, absque piaculo
 Securi modò vivimus!

IISDEM MARTIRIBUS.

VOBIS quanta venit de nece dignitas!
 Quae delubra Deo surgere cernimus,
 Altis vestra serunt nomina frontibus,
 Christi gloria, Martyres.
 Non hoc Caesaribus contigit impiis;
 Detestata manent crimina posteris,
 Virtus vestra viget, nec violabitur
 Seris tradita seculis.

Fusus pro Domino fumat adhuc cruor;
 Sacris pignoribus spirat adhuc fides;
 Praecones fidei frigida pectora,
 Linguâ sanguinis excitant.
 Tali deposito Gallia gaudeat,
 His & praesidibus regia Civitas.
 Haec nos quam colimus, sit quoque sanctior
 Sanctis hospitibus Domus.

Nos Regum pietas provocet hospites,
 His vexere locis pignora Martyrum;
 Sopitam positi Regicâ manu
 Accendant lapides fidem.

Si jam pace datâ non liceat mori,
 Si nos vincla, rotæ, deficiunt cruces;
 Durus quisque sibi plectat & immolet
 Durus membra laboribus.

XXIX. SEPTEMBRIS.
PRO SANCTO MICHAELE
 ET ANGELIS.

CHRISTE, summi Rex olympi,
 Par Deo Patri Deus,
 Quem tremiscunt intuendo
 Sanctiores Spiritus,
 Purus es, da mente purâ;
 Ore puro psallere.

Quotquot adsunt, sempiterni
 Qui tribunal ambiunt,
 Hi tot ardent imperantis
 Ferre iussa præpetes;
 Ire terris, & redire,
 Sacra per commercia.

Inter omnes fulguranti
 Ense victor emicat,
 Qui Draconis insolentem
 Contudit ferociam.
 De polo trahit rebellem
 In profunda tartara.

Dum superbum sternis hostem;
 Intonas, **QUIS UT DEUS?**
 Obstinata turba præceps
 Clade communi ruit:
 Te triumphantem coronat;
 Qui tibi dat vincere.

Tu decore vincis omnes;
 Altum pulcherrime;
 Assides Deo propinquus;

Consili tu particeps.

Astra claudis, & recludis;

Nosque sistis iudici.

Te tremendo polcat æger

Mortis in luctamine,

Advolantis efficacem

Sentiet præsentiam.

Lance pendis non severâ

Luce functi crimina.

Sit suprema laus Parenti;

Qui creavit omnia;

Filioque, qui redemit

Morte nos volens suâ;

Par & illi, cuius almo

Recreamur habitu.

MILLE, quem stipant solio sedentem

Corporis puræ sine mole mentes,

Christe, quos fuso tibi consecrasti

Sanguine, serva.

Quas tenent cellas super astra sedes

Spiritus, nobis quoque præparasti,

Ut viam monstrarent, Socios fideles

Providus addis.

Qui Dei numquam temeranda jura

Vindicat sacris animosus armis,

Prompta perdendos MICHAEL in hostes

Arma ministret.

Nuntius felix melioris ævi,

Fausta qui mundo Gabriel tulisti;

Creber è coelo venias, amica

Nuntia portans.

Corporis morbos , tenebrasque mentis
 Pelle , divinas medicus per artes
 Qui seni cæco, Raphaël, dedisti
 Cernere Solem.

REGNATOR orbis , summus & arbiter ;
 Cui prona servit curia coelitum ,
 Verbo creasti quæ magistro ;
 Perpetuâ regis ipse curâ.
 Nobis fideles providus Angelos
 Missos olympo suppeditas duces ;
 Ut nos tot obsessos periclis ;
 Incolumes , sine labe servant.
 Ne nos malignis fraudibus occupans ;
 Incauta fallat pectora subdolus
 Suasor malorum , néve capter
 Illecebrâ malè blandienti.
 Laus summa Patri , summâque Filio ;
 Tibique compar gloria , Spiritus ,
 Qui per salutis tot ministros
 Das patrias remeare sedes.

XXX. SEPTEMBRIS.

PRO SUSCEPTIONE

SANCTARUM RELIQUIARUM,

In sacro sanctâ & Regali Capellâ Parisiensi.

HUC Christiani currite milites :
 Sacras ad arces Religio vocat.
 Quibus triumphavit peremptus ;
 En rutilant ducis arma Christi.

His fretus armis victor aheneos
 Postes revulsit, claustraque tartari,
 Coetusque captivos Piorum
 In patrias revocavit arces.
 Quin & premebat quos fera servitus;
 Tristi gementes eripuit iugo:
 Et nocte damnatos profundâ
 Ad superas dedit ire sedes.
 Orbis redempti qualia pignora!
 Ut tincta Christi sanguine adhuc madent
 Sperate, mortales, salutem
 Plena necis monumenta præstant.
 O Christe, duris qui cruciatibus,
 Ultrò piastis non tua crimina,
 Fac morte functus tam cruentâ;
 Ne pereat labor ille cassus.

REVISE terras: te tua gloria
 Jam, Christe, ab altis sedibus evocat,
 Raptos honores quæ redonet,
 Digna Deo, tibi pompa surgit.
 En Rex inermis, Rex sine purpurâ,
 Rex ipse mixtus civibus, & tuæ
 Crucis trophæo gloriosus
 Ingreditur pede nudus urbem.
 Non rapta cæcis hostibus impia
 Hic arma fulgent, nec domiti Duces
 Graves catenis hic trahuntur;
 Nobilior Crucis est triumphus.
 Urbs tota sacris cantibus insonat,
 Mutata cives pectora sentiunt,
 Quâ pompa transit, fert salutem;
 Tanta Crucis rediviva virtus!

Huic templa fundas , optime Principum ,
Verenda seris templa nepotibus :

Hâc arce Franci stat perenne
Præsidium , columeque Regni.
Tu pace , bello , consulis hâc Deum ;
Dediscis alti nomina Principis ,
Et post triumphatos tot hostes ;
Magnanimus tibi jura ponis.

CRUX alma , salve , Crux venerabilis ;
Torrente Christi sanguinis ebria :

Testis dolorum , tu suprema
Verba Dei morientis audis.
Tu celsa sedes , unde suos docet :
Vitalis , in quo nos peperit , thorax
Curvus triumphantis , tribunal
Judicis , atque litantis ara.
Christi cruentæ , splendida Principum
Non certet umquam purpura , purpuræ
Junco palustri sceptræ cedant ,
Textilibus diadema Spinis
Dulces Catenæ ! quas Deus induit ,
Ut illigatos crimine solveret.

Manas Tonantis quæ ligabas ;
Semper eris pretiosa torques.
O Christe , blandis ne mala gaudia
Fallant veneno credula pectora :
Hôc felle , quo quondam madebas
Spongia , fac bene diluantur ,
Per te salutis , Lancea , largiis
Fluxere fontes , quando Dei latus
Prægnantis obstetrix recludis ,
Sacrilegâ famulante dextrâ ,

Hæc est supellex , quam moriens suis
 Christus reliquit , nunc aliam nefas
 Ambire gazam Christianis ,
 Morte quibus redimenda vita.

I. OCTOBRIS.
 SANCTO REMIGIO
 RHEMENSIS EPISCOPO.

Vos tûra Franci , gens sacra , Præfules ,
 Magni sub aras fundite Præfulis ;
 Qui vos & unxit Christiani ,
 Remigium celebrate, Reges.
 Primis sub annis jam procul urbibus ,
 Cavæ latebat rupis in angulo ,
 Majore spectandum theatro
 Vindicat hunc bene nota Virtus.
 Frustra repugnat ; poscitur omnibus
 Votis sacerdos , præficitur Rhemis
 Nedum vir ; impubes sed annos
 Judicii gravitate pensat.
 Fulsis revertens victor ab hostibus ,
 Supplex ad hujus procubuit pedes ,
 Tibi futurus , Christe , miles ;
 Depositis Clodovæus armis.
 Hinc aucta quantis Religio modis
 Crescet per omnes libera Gallias ?
 Gaudebit inter Christianos
 Francigenas numerare Reges.
 Qui Christiani nomine dicimur ,
 O Christe , puris da quoque moribus
 Nos esq ; dici quid juvabit ?
 Convenient sua facta dictis .

DIVINA, Præsul, prome volumina;
 Æterna vitæ verba tenes, doce.

A Rege pendet, quem docebis;

Tota salus, pietasque Regni.

Res pandis altas, scire avidum doces

Actum propinquo numine Principem.

Illi recludis plena Christo,

Tot veterum monumenta vatum;

Ferox Sicamber, pone superbiam,

Submitte dulci colla Dei iugo;

Cremata nuper nunc adora;

Quæque colis simulacra, adure;

Ab ore pendens Præfulus, audiit

lætus loquentem jam docilis Deum.

Regale pectus tot sacrarum

Concuiatur gravitate rerum.

Tum sceptrâ ponit, te quoque regiis

Christo induendus vestibus exuit.

Descendit in sanctos piandus;

Quos habitat Deus ipse, fontes.

Illum Sacerdos ter fluvialibus

Immersit undis, ter super extulit;

Visusque portentis olympus

Lætitiæ dare signa magnis.

Perfundit altum Chrismate verticem

Omnes in uno principe consecrat;

Tum mente prælagâ videbat

Christiadas sine fine Reges.

Ducenda lætis non sine cantibus

Sacrata semper Pontifici dies;

Sub iura Christi, qui subegit

Indociles feritate Francos.

JAM castra Christum barbara personant,
 Servire spurcis dæmoniis pudet,
 Et Regis exemplum secuti
 Arma duces posuere Christo.
 O quanta victis gloria Gallis!
 Quæ Christianis legibus obligant,
 Docendo victores, vicissim
 Christiadam pietate victos.
 Tales Triumphos, maxime REMIGI,
 Asserta per te Relligio tulit;
 Quam prædicasti, comprobata
 Prodiis super astra tollis.
 Tu, quas tot annos, alme Senex, regis;
 Adhuc benignus respice Gallias;
 Francique Reges, quos sacraſti,
 Mente pii tueantur aras.
 Laus summa Patri, summæque Filio;
 Tibique compar gloria, Spiritus.
 Tu qui potenti sancta Regum
 Corda tenes, subigisque dextrâ.

VI. OCTOBRI.

SANCTO BRUNONI

CARTHUSIANORUM INSTITUTORI.

MAGNARUM strepitur qui procut urbium,
 Se se Carthusiis montibus abdedit,
 Sit fas è latebris, éque silentio,
 Festis prodere cantibus.

Ultrix ira Dei, quæ manet impios,

Hunc miris adeò terruerat modis !

Mutatus tacitâ proposuit fugâ.

Urbes, seque relinquere.

Æternas ut opes vi rapiat, suas

Forti despiciens pectore deserit.

Doctarum juvenem non movet ampliùs

Laurus, gloria frontium.

Nam quò BRUNO fugis ? solibus invia

In deserta rapit quis facer impetus ?

Uno teste Deo vivere cogitas ?

Uno teste Deo, mori.

Non solus fugies, propositi ducem

Ardent sex pariter te comites sequi ;

Hos fulgère, velut sidera, territus

In somnis Hugo viderat.

Felix augurium ! suscipit hospites :

Montes quos colerent, donat inhospitos ;

Atis culminibus sic vaga sidera

Fixit, perpetuas faces.

Obscuris nemorum de penetralibus

Egressus, patrio qui rutilas polo ;

Nos, ô sancte Pater, te cupidos sequi ;

Duc, regnas ubi, filios.

Patri máxima laus, qui creat omnia,

Mundum qui redimit, maxima Filio.

Quo deserta petit ductus homo Deus ;

Laus compar tibi, Spiritus.

Vos inaccessi, loca sola, montes ;

Vos & aternâ nive cana saxa ;

En novus vestros penetravit hospes

BRUNO recessus,

Antra terroris nihil hæc habebunt.
 Spontè summittent iuga celsa rupes;
 Lucis accessu recreata tanto

Gaudet eremus.

Hactenus nullo violata passu;
 Hospites tellus venerata sanctos;
 Se premi post hac pedibus beatis
 Læta superbit.

Sicca pinguescet lacrymis gementium;
 Dura parebit manibus colentium,
 Uberes fructus dabit, ante densis
 Horrida dumis.

Nil sui perdit sacra solitudo;
 Nulla vox sedes agitat quietas.
 Solus auditur Deus, hic gementes
 Solus & audit.

Se recognovit rediviva in illis
 Thebais, quondam pia regna silentium:
 Hic renascentes iterum putavit
 Vivere Paulos.

FAMA præruptas tua scandit Alpes;
 Pontifex audit, vocat è profundâ
 Rupe BRUNONEM, docilis magistrum
 Poscit alumnus.

Ad suam BRUNO quoties eremum
 Tristè discedens oculos retorfit!
 It tamen, secum medias per urbes
 Portat eremum.

Inter angustos proceres sedere
 Iussus, oblatas patribus reluctans
 Insulas sprebit, pavet ad tremendâ
 Pondus honoris.

Iñde nos Patris canimus triumphos
 Quâ die veſtus petit aſtra curru ,
 Quem Deus cœlo beat , ampla merces
 Trinus & unus.

FESSUS aulâ turbulentam

BRUNO Romam deferit ;

Ad relictas promptus ardet

Ire ſolitudines.

Nulla ſilva ſat profundis

Hunc teget reſſibus.

Quâm lates fruſtrâ repoſitis

Irrepertus ſaltibus !

Delitentem prodeſt antro

Viſ odora te canum.

Arma ponet hic Rogerus ;

Præda , venator , tua.

Dux tremens accedit antrum ;

Et veretur hoſpitem.

Qui ſtudebat hic latere ,

Horruit ſe detegi :

Ambo ſe vix ſuſtinentes ,

Ora deſixi ſtupent.

Surge , Princeps , rumpe ſomnos ;

Sævus hoſtis imminet ;

Vox amica dormientem ,

E thoro te ſuſcitât ;

Vendit auro te Pelæſgus ,

Qui tuus , nunc tranſfuga.

Æger extremâ ſub horâ

Sacra , BRUNO , poſtulas ;

Ad jubentis verba myſta ,

Obſequente numine ,

In Dei convēsa corpus

Liba sancta prædicas.

Efficax fugare morbos

Fons sepulcro profluit;

Quærat æger hic salutem;

Pleniùs se proluat,

Fons salubris, fons superbus

Patris almo nomine.

Christe, tecum consepultos

Fac tibi sic vivere;

Ne strepentis vanus urbis

Rumor aures verberet,

Pestilentis atra mundi.

Aura ne nos polluat.

Sempiterno sit Parenti

Sempiterna gloria,

Et Parentis sit cœvo

Laus perennis Filio;

Par honos, par & potestas;

Utriusque Vinculo.

SOLITUDO SANCTA.

*Ad Armand. J. Butillerium antiquæ disciplinæ
Instauratorem.*

QUAS ferat pœnas pia turba fletum;

Turbæ crudelis sibi, quis renarret?

Prævenit læsi nimis ah! timendas

Judicis iras.

Proserunt longas vigilando noctes;

Et dies ducunt solidos canendis

Laudibus sacris, precibusque juncti

Astra laceſſunt.

Frigidos temnunt, calidosque soles;

Quæ tegit nudos malè veltis artus,

Urit, intonsis & acuta figit

Spicula fetis.

Ut labor certis redit astas horis;

Advolant omnes, simul arva versant;

Sic renascenti cruciata poenâ

Corpora subdunt.

Spontè mitescunt inarata saxa;

Qui sacer toto pluit ore sudor,

Hæstenus siccum meliore fundum

Irrigat imbre.

Dum secant terram, memores revolvunt

Triste primorum facinus parentum;

Dividunt poenam; manet illa seros

Pœna nepotes.

Cùm vacant omnes operi, siletur;

Est suum pensum, sua cuique cura;

Si quis auditur sonus, est precantùm;

Estque canentùm.

Ore, quem Christum nequeunt docere;

Pædicant scriptis calando libellis;

Hi sacro magnas volitant per urbes,

Flamine vestî.

Pro domo, nigri placet horror antri;

Rupibus nascens, fuit esca, gramen;

Qui fluit torrens nivibus solutis

Pocula præbet.

Incolis rupes habitata sanctis

Servat horrorem; timet ars polire;

Pendulus ligno Deus, est cavernæ

Tota supellex.

Mors sedet vultu, cubat ore pallor;

Viva languentùm simulacra cernas;

Nesciens

Nesciens Solis cava cella condit
Panè sepultos.

Nullus hic æger medicas per artes
Quæsit lapsas revocare vires ;
Corporis quàm tunc inimica vellens
Rumpere vincla !

Invidet cœlum , proprios reposcit ,
Mente qui regnant super astra , cives ;
Dum novos terris homines iniquus
Despicit orbis.

Sic ad æternas datur ire sedes ;
Nullus intrabit , nisi durus ultor
Expiet fletu , crucianda sævis
Crimina flammis.

IX. OCTOBRIS.

SANCTO DIONYSIO

EPISCOPO PARISIENSI,

ET SOCIIS MARTYRIBUS.

Lux de luce Deus , fons quoque luminum ;
Quo stat perpetuus cœlitibus dies ;
Tristem sub miserâ nocte Lutetiam
Quanto lumine recreas !

Huc , de sede Petri fervidus advolat ;
Aras , Fana , Deos , funditis eruit ,
Et Christum resonans , dedocet impios
Dux verbi DIONYSIUS.

Addunt se comites , & rudibus pia
Committunt fidei semina mentibus.

Sacris barbara gens , jam docilis regi ,

Christum fontibus induit.

Crescit sancta Fides , sit nova civitas ;

Hinc sævit rabies in tenerum gregem :

Intentos operi , nec timidos mori ,

Pastores furor impetit.

Aptantur gladii , verbera , compedes ;

Illi supplicium delicias putant :

subdunt se gladiis , trës simul occidunt ;

Tres coelo simul advolant.

AD sanctos cineres currite , civitas ,
Sunt hæc plena Deo pignora Martyrum.

~~Hic~~ cunctæ fidei , funeris in sinu

Vitam plenius hausimus.

Hic , dum iusta parant prælia principes ;

Flexis poplitibus præsidium petunt ;

Vestros ante pedes regia supplices

Deponunt diademata.

Quos sensere bonos rebus in arduis

Viventes , etiam post sua funera

Jungi Martyribus , dum veniat dies

Terris ultimus , ambiunt.

Hic quot prodigiis se Deus asserit !

Hic surdi patulis auribus audiunt :

Cæcis hic sua lux redditur , & suas

Contractis vigor artubus.



MONS MARTYRUM

In quo passus est S. Dionysius cum sociis;
Quem Deo sacrae Virgines habitant.

URBI qui dominae Mons sacer imminet
 Fuso fumat adhuc sanguine Martyrum;
 Cives ite pii, visite tot loca
 Sancti conscia funeris.

O dulces tenebrae ! carcer amabilis !
 O nox purpureo splendidior die !
 O sacri lapides ! ô bona vincula ;
 Fusus quæ decorat cruor !

Fornax innocuis blandior ignibus,
 Parcis Martyribus ; tu mihi, clarior
 Illa , quam Babylon construit impia
 Illæsis pueris tribus.

Noctes atque dies, ad tumulos Patrum ;
 Ornatae rutilâ lampade Virgines,
 Implent perpetuis hæc loca cantibus,
 Et Sponso simul excubant.

Posthæc montis iter non erit asperum ;
 Ex quo magnanimi , non timido gradu,
 Conscendere jugum , pro Domino caput
 Læti ponere Martyres.

Olim sub specubus , quæ latuit Fides ,
 Nunc se falsa palam , non timet amplius ;
 Non quærit tenebras , gaudet in arduis
 Se se prodere montibus.

His quæ fervet adhuc vestra fides locis ;
 Accendat gelidis pectoribus fidem ;
 Quando vestra , Patres , progenies sumus ;
 Et vestro lata sanguine,

HE U! te, sancte Senex, quis furor impetit?
 Cur plebs inmeritam te rapit ad necem?
 Nil morum gravitas, & venerabilis
 Nil te canities juvat.

Enses, vincla, rotas, verbera, pestines;
 Æs flammis liquidum, clatraque ferrea,
 Duros interitus, lentaque funera
 Tortor præparat artifex.

Instrumenta necis, fronte serenior;
 Ornamenta velut supplicii vocas;
 Unum nempe doles, quod Domino litas
 Vitæ relliquias breves.

Anceps carnificis contremuit manus:
 Firmâ mente stetit nil metuens Senex.
 Christo, quem moriens prædicat, obtulit
 Pulchrum canitie caput.

Non tortoris opus mors tua, sed Dei
 Pro quo, sancte Pater, te pius immolas.
 Si post fata Deum visus adhuc loqui,
 Vox est, linguaque sanguinis.

Hic mons ara fuit; victima Pontifex,
 Christo cum sociis Martyribus litas:
 Talis pompa necis, magnanimum mori
 Sanctum Pontificem decet.



XXIV. OCTOBRIS.
 DIVO MAGLORIO
 EPISCOPO DOLENSI.

FECERAT lumen Deus autor Orbis
 Majus, ut præffet solidæ diei.

Fecerat nocti minus, ut per umbras
 Nempe micaret.

Convenit duplex tibi munus uni;
 In Dei templo radias Sacerdos,
 Nec minus splendens nemorum profunda
 Nocte sepultus.

Dive MAGLORI, populi Dolenses
 Te diu clarum meritis petebant:
 Ad novos tanti nova lux refulsit
 Sideris ortus!

Eligit qui te comitem laborum,
 Jam senex fato propiore Samson,
 Sacra deponit tibi sustinenda
 Pondera mytræ.

PRÆSUL afflatu monitus superno
 Ecce silvarum repetis recessus,
 Infulas ponis; tua dignitatis
 Pondera sentis.

Liber hic curis, strepituque rerum;
 Jam tibi totus frueris beatâ
 Pace, dum menti domitum studebas
 Plectere corpus.

Falleris prudens; Deus obstat ausis;
 Civitas omnis sequitur fugacem,

Hij

Oblitum densis penetrat profundum
Vepribus antrum.

Cedit obscuro suus horror antro,
Jamque desertum strepit instar urbis;
Confluunt cives, velut aula magna,
Vilis Eremus.

Proditus famâ fugeret, sed obstant
Mille Virtutes, aditusque claudunt.
Hic salutatur, licet abdicato
Munere, Præful.

XXXI. OCTOBRI.

DIVO QUINTINO MARTYRI.

Nunc aptate tubas, sumite tympana:

QUINTINO rediit lux sacra: plaudite:

Cujus tincta fuit sanguine civitas,
Sancto plaudite Martyri.

Tanti quis memoret prælia militis?

Quis tormenta canat dura, nec horreat?

Passus mille neces, ut semel occidat

Divinæ necis æmulus.

Quidquid barbaries, quidquid & artifex

Poenarum reperit carnificum furor,

Pœnas inter ovans, ore serenior

Forti pectore sustinet.

Cæcis qui populis attulerat diem,

Tetro nil meritis carcere clauditur.

Aras, Fana, Deos, Numina verteret;

Si non vincla gravant manus.

Quàm frustra! liquido lapsis ab æthere

Ruptis compedibus liberat aliger:

Custodes subito lumine territi

Ponunt arma satellites.

Liber, plus populis quam tibi redditus

Cœlesti tenebras lumine discutis;

Et quos dura premit, longaque servitus,

Tu Christi subigis jugo.

Hinc qualis rabies! mille cruces, rotas

Figunt compita per; perdere stat novam

Gentem Christiadam; vota sed irrita,

His crescet quoque cladibus.

QUANTINUS rapitur, dux gregis, & caput,

Qualis pompa necis! parcite barbari;

An tot suppliciis debitus innocens?

An tot præda leonibus?

Lentis dilacerat vñminibus cutem;

Costas effera gens verberare detegit.

Sulcant corpus, arant dentibus asperis

Rubri sanguine pestines.

Ictus ingeminant, scissa volat caro;

Per partes lacerum corpus abit, feræ

Gentis ludibrium; mens manet integra;

Torti corporis immemor.

Addunt vulneribus dum nova vulnera

Unum vulnus erat; viscera Martyris

Quando nuda patent, illius intimam

Rimeris penitus fidem.

Nudo quas lateri subijciunt faces,

Sacris divus Amor comprimit ignibus;

In se tota furens flamma perhorruit

Sanctum lædere Martyrem.

Protenus laceros funibus alligant

Artus, perque rotas ossa crepant suis

Hiv.

Vi divulsa locis , magnanimo pugil

Fert tormenta silentio.

Imponunt cathedræ , quæ rubet ignibus ,

Transversas humeris crure tenus ludes ,

Vi clavos adigunt , unguibus inferunt

Longâ cuspide subulas.

Et nos Christiadæ blanda per otia

Vitæ delicias quærimus anxii !

Nostram segnitiam durius increpant

Fuso sanguine victimæ.

Nunc agnosce tuum , respice Martyrem ,

Princeps Christe , salus unica Martyrum ,

Expressis moriens , quâ potuit , tuæ

Fidus mortis imaginem.

Læso , Nate , Patri , dum cruce pendulus

Durâ morte pias non tua crimina ,

Deformis , retinens nil hominis , places

Scisso corpore pulchrior.

Fractus membra , lacer , nec similis sibi

QUINTINUS (deerat vulneribus locus)

Partes quotquot habet corporis , immolat

Pingues tot tibi victimas.

Pœnæ deficiunt : ipse volens mori

Subdit se gladio , vertice plectitur ;

Mens , divinus Amor quô rapit , evolat

Ruptis libera vinculis.

Cum de vulneribus tot radios jadis ,

Castiga radios ; vis bonus aspici ?

Urbem , Sancte , tuam ; sanguine quam tuo

Lustrasti , bonus aspice.

CIVEM Roma suum jam sibi vindicet .

Clarum Patriçii dicat honoribus ;

QUINTINUM repetit , jure vocat suum

Felix Gallia Martirem.

Lectâ cum juvenum venerat huc manu

Desertâ patriâ , ceû tot Apostoli .

Cæcis in stygiâ nocte jacentibus

Portant lumina Galliis.

Illis ludus erant propositæ neces ;

Audebant vel oves credere se lupis.

Omnes unanimâ terribiles fide

Christo sub duce militant.

Urbes per medias , sævit ubi furor ;

Ardent ire ; novos ipsa pericula

Ollis dant animos ; quis teneat duces

Vitam fundere prodigos ?

QUINTINUS socios servidus emicat

Inter , Christiferi dux erat agminis ;

Vertunt , ædificant , & bona semina

Spargunt , & simul irrigant.

Quæ mandata novis semina mentibus ;

Fructus illa ferent ; tempore debito

Surget læta seges , cùm pluet undique

Cæcis Martyribus cruor.

VINCENDI genus hoc , Martyribus novum.

Victis est sua laus , est sua gloria ;

Victi dum caditis , funeris è situ

Victâ morte resurgitis.

Victori nocuit , profuit & furor

Victo , cui titulos nomen & addidit.

Hv

Quo delere cupit, consecrat inficius

Fuso sanguine Martyrem.

Urbs *Augusta* vetus quis tibi fustulit

Nomen? barbaries. Quis dedit & novum?

Miles, ludibrium Cæsaris impii.

Tantum Religio potest!

Dediscis titulos, vanæque nomina:

De toto superat nil tibi Cæsare.

Detestata Deos, ludicra Numina,

Unum sancta colis Deum.

Arces, Impietas quas sibi struxerat,

Tutas terribili nomine Cæsarum,

Nudi sola fides Militis eruit

Armis fortior omnibus.

Sargit quanta tibi de nece gloria!

Urbes prodigiis attonitæ silent.

Das leges populis, victus & imperas,

Et victoris obis vices.

Patri maxima laus, maxima Filio,

Amborum tibi par laus quoque Spiritus;

Præsens Martyribus, qui velut ebris

Christi sanguine, das mori.

De corporis diu latentis Inventione.

CH R I S T O dum fruitur pars melior tui;

Rides jam placidus corda ferocia;

Ut totus pereas, exanimum feris

Corpus fluctibus obruunt.

Projecto fluitans corpore constitit,

Et suspendit iter, tum famulantibus

Longo circuitu tardior indicat

Undis, lambit & hospitem.

Dudum delituit, sed pia finibus
 Romanis properans femina detegit.
 Huc afflata Deo venerat; hanc fidem
 Firmat prodigio Dens.
 Cedit nox oculis; lux sua redditur.
 Haud ingrata tegit non procul hinc sacrum
 Fossâ corpus homo; fit tumulus; levem
 Aram cui super addidit.
 Hic longum siluit, cum subito Deus
 Clarum mille notat prodigiis locum.
 Rursus detegitur, se reteggit piis,
 Se celaverat impiis.
 Ne sacros cineres contigeris reus.
 Tardo poena sequax non pede deserit.
 Fossor dirigit; Mors subito reum
 Indignata præoccupat.

IGNOTUS populis non eris amplius;
 Quo tellus humili te tenuit loco,
 Surgunt templa tuo dedita nomini,
 Altis æmula nubibus.
 Hinc urbes reliquas urbs supereminet,
 Sedem Pontificum fixit, ubi pugil
 Certavit toties, fortis ubi fide
 Pro Christo meruit mori.
 Nunc nunc Cæsar ubi, sunt ubi Numina?
 Nox æterna premit; vivit, & omnibus
 Seclis præco Dei, Martyr, Apostolus,
 QUINTINUS celebrabitur.
 Si non, Christe, tibi vivimus integri
 Cæsar vivet adhuc, vanaque Numina.
 Nam tot Numina sunt, blanda quot impio
 Vivuat pectore crimina.

H vj

*De celebri Festo, quod vulgò nuncupatur
Illuminationum.*

ARAS, templa, facès unde tot ambiunt?
Tantis obruitur luminibus dies.

Accensæ rutilant undique lampades,
Te præsentè micant minùs.

Ultor nempe Deus corpora martyrum
Condi pulvereò non patitur situ;

Tristes Reliquias, opprobrium necis,
Sacris pensat honoribus.

Alto qui latuit gurgite conditus,
Monstratur populis lumine spléndidus.

Quamquàm non egeat, qui super æthera
Lucis flumine mergitur.

Exultat Pietas, tincta cruoribus

Quæ parcente manu pignora colligit:

Urnâ, Sancte, tui corporis hospitam
Altari medio locat.

Hic stas perpetuus Martyr, & immolas

Truncum corpus adhuc; non satis est tibi

Unâ morte mori; jugis ut hostia

Christo jungeris hostiæ.

Fumans sanguis adhuc supplicat, & Deo

Plus quàm thure litat: qui latus ambiunt,

Maestatis pariter corporibus litant;

Hi tres vim faciunt Deo.

Hanc auro solido, Præfulis artifex

Caplam sancta manus vestiit, inimo

Plus splendoris habet, plus pretiis lapis

Tactu corporis accipit.

Qui miraris opus, munera Principum,
 Plus mirare fidem Martyris integram,
 Hinc gressum teferas, si reus: oscula
 Tot sunt vulnere Martyri.

Quo nos pompa vocat? festa dies redit,
 Quam fecere sacri Pontifices sacram
 Et Reges celebrem. Nos decet hanc diem

Lætis claudere cantibus.
 Dulces exuvias, sanctaque pignora
 Huc translata (loci nobilitas velit)
 Victrix Religio tot fidei suæ
 Testes monstrat, & obsides.

QUINTINUS vehitur, se duo Martyri
 Adjungunt comites, tres simul advolant;
 Aras tres repetunt, rursus ut immolent
 Si quid restat adhuc sui.

Rex cum prole venit, non sine lacrymis;
 Supplex ante pias, & caput & pedes
 Nudus; Reliquias, pondus amabile
 Subjectis humeris subit.

Illi vilis erat Regia purpura,
 Si non tincta suo sanguine, displicet.
 Felix qui potuit, non datur omnibus,
 Christo fundere sanguinem.

Pompæ pars melior, vos quoque præfules
 Venistis loci, nec minus ambiunt
 His servire Sacris vel diademata,
 Quæ subduntur, & imperant.

Talis Depositi nos sumus & sumus
 Custodes fidei: nos super excubant
 Ex illa specula; de cathedra docent
 Pleni numine Martyres.

I. NOVEMBRIS.
IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Cælo quos eadem gloria consecrat

Terris vos eadem concelebrat dies:

Lati vestra simul præmia pangimus,

Duris parta laboribus.

Jam vos pascit Amor, nudaque Veritas;

De pleno bibitis gaudia fluminis;

Illie perpetuam mens satiat sitim,

Sacris ebria fontibus.

Altis secum habitans in penetralibus;

Se Rex ipse suo contuitu beat,

Ilabensque, sui prodigus, intimis

Se se mentibus inserit.

Altari medio, cui Deus insidet,

Agniumat adhuc innocuus cruor:

Quæ mactata Patri se semel obtulit,

Se jugis litat hostia.

Pronis turba senum cernua frontibus;

Inter tot rutili fulgura luminis,

Regnanti Domino devovet aurea

Quæ ponit diademata.

Gentes innumerae, conspicua stolas;

Agni purpureo sanguine candidas,

Palmis læta cohors cantibus æmulis.

Ter sanctorum celebrant Deum:

Sit laus summa Patri, summæque Filio;

Sit par sancte tibi, laus quoque Spiritus;

Qui das pro meritis, optimus arbiter,

Te totum simul omnibus.

VOs sancti Proceres, vos Superum-chori,
Coeli quotquot habet Regia Principes,

Nostros nunc date vestris.

Cantus jungere cantibus.

Primis ante alios, gloria Coelitum,

Christi Virgo parens fulget honoribus;

Divinoque severum

Flectit pignore Judicem.

Adstant Spirituum mille acies throno;

Regi sancta ferunt vota clientium.

Hic Baptista profundo

Lucis flumine mergitur.

Quorum nuntia vox, orbis ad ultimas.

Christum vox resonans intonuit plagas;

Præcones duodeni

Sacris Vatibus assident.

Fuso purpurei sanguine Martyres,

Et puro niveæ pectore Virgines

Agno candida fundunt

Rubris lilia cum rosis.

Qui pavere suos Præpositi greges,

Pascuntur supero Numine plenius;

Qui flevère, serenis

Abstergit lacrymas Pater.

HYMNIS dum resonat curia Coelitum,

Hic stemus patriis finibus exules;

Hic suspensa tenemus

Multis cantibus organa;

Quando mens misero libera carcere

Se vestris sociam coetibus inferet;

Et, caligine pulsâ,
 Coeli lucem habitabimus?
 Obscuræ fugient mentis imagines,
 Cum stantes propius luminis ad jubar;
 Nos verum sine nube
 Ipso in fonte videbimus.
 Nobis sancta cohors sis bona, fluctibus
 Luctantes mediis, quos modò respicis;
 Da portus, duce Christo,
 Da contingere prosperos.

II. NOVEMBRIS.
 PRO COMMEMORATIONE
 VITA' FUNCTORUM.

FESTOS triumphos Coelitum
 Funebres excepit dies;
 Et longa quos oblivio
 Premunt sepultos, exhibet.
 Lætis juvat pro cantibus
 Audire feralem tubam,
 Quæ sub sepulchris abditos
 Cœlo recludet hospites.
 Tunc mors inermis & tremens
 Surdis ab antris audiet,
 Et iussa reddet lumini
 Defuncta luce corpora.
 Ruent ab alto sidera,
 Æterna nox Lunam premet,
 Lux deferet Solem suum,
 Et cuncta miscet chaos.

Turbata clade publicâ
 Natura dissipabitur :
 Suis soluti legibus
 Rumpentur orbis cardines.
 Flammiſ rubens ultricibus
 Iras Dei cœlum pluet:
 Tellus ſuo quæ pondere
 Immota ſtat, movebitur.
 Fac, Chriſte, quando ſplendida
 De nube Iudex veneris,
 Furoris oblitus tui,
 Ne nos nocentes punias.

O P L E N U S irarum dies,
 Dies furoris ultimi,
 Quo ſtabit immutabilis
 Decreta ſors mortalium.

Reos paventes obruet
 Tremenda majeſtas Dei;
 Poenas ferentem vindices
 Quis ſuſtinebit Iudicem?

Scriptus notis fatalibus
 Hic explicabitur liber;
 Quod antè commiſſum fuit,
 Hâc lance ponderabitur.

Quod multa nox celaverat
 Pleno patebit lumine;
 Et conſcius ſibi Reus
 In ſe feret ſententiam.

O quis relictum me mihi
 Illo die tuebitur?
 Pro me loqui quis audeat?
 Poenas repoſcunt crugina.

Vix ipse securus fui,
 Quem nulla labe inquinat;
 Cum vel leves severior
 Inquiret noxas Deus.
 Tunc, Christe, sis placabilis;
 Oppone te totum tibi;
 Ultoris exarment manus
 Suscepta pro me vulnera.

JESU, memento quod volens
 Pro me crucem conscenderis,
 Quæ dira passus corpore
 Tormenta non sint irrita.
 Delicta si non fletibus
 Delere nostris possumus,
 Hæc tu tuo potentior
 Dele efficaci sanguine.
 En ora suffundit pudor;
 In fronte scripta crimina:
 O quàm sub alto pectore
 Hæc illa me mordent magis!
 Si iudicem non exuas,
 Quâ te movebimus prece?
 Benignus in natos pater
 Flecti bonus tunc incipe.
 Castam parum qui foeminam
 Puræ parem luci facis;
 Qui de latrone martyrem,
 Ne me nocentem deferas.
 Inter tuos ut censear,
 Ab impiis me segrega,
 Et ad tuam placationem
 Me jam repone dexteram.

Quæ, quanta, quàm gravis dies!

O vindicis dies Dei!

Ubi sedebit arbiter

Qui punit, & qui læsus est.

Offensus ultor diceris,

Punire scis, scis parcere:

Nunc ure, sævi, nunc seca;

Hæc dum diæ peperceris,

JESU, tuo vel nomine

Qui prædicas clementiam:

Da gratiam viventibus,

Et da quietem mortuis:

E Q D E M D I E.

LUGUBRE voces personent,

Fletus, preces, piacula,

Hoc, luce sancti, Spiritus

Tam triste munus exigunt.

Nobis pias tendunt manus:

Opemque mœsti flagitant;

Uruntur, & miris modis

Torquentur absque corpore.

Pro se mereri nesciunt,

O Christe, qui sciunt pati:

Læsisse te magis dolet,

Quàm ferre crudeles rogos.

Tot sunt amoris victimæ,

Quas flamma lustralis piat.

Sævis fruuntur ignibus,

Ut puriores exeant.

Divina quæ clementia

Placaris, & plectis minis,

Si quando nos vicariis
 Poenis volentes plectimus.
 Cives olympto debiti
 Ardent Deo se jungere ;
 His preparatam lauream
 Per nos Deus det consequi.
 Mixti choris cœlestibus
 Jūgi juvabunt nos prece,
 Salute certi de suâ,
 Nostræ saluti consulent.

QUALIS decet te sanctitas ;
 Qui sic tuos probas , Deus !
 Cur longa post suspiria
 Adhuc negas te cernere ;
 Ut dira , quem premit scis ;
 Ardens aquas cervus petit ;
 Sic quos amor rapit tui ,
 Ardent , anhelant te frui.
 Nectis moras amantibus ;
 Quos igne multo perficis ,
 Judex modò , modò pater
 Utrumque munus sustines.
 Memento , quòd tu finxeris ;
 Nos de luto ; quid exigis ?
 Nos corpus , & tu Spiritus ,
 Coinquinos rejicis ?
 Si quæ piati criminis
 Adhuc manent vestigia ,
 Mundi scelus qui diluls ,
 Tuo cruore diluas.

Nos membra qui sumus tua,
 Jungas tuo nos corpori:
 Pastos tuis altaribus
 Mensis supernis excipe.

SANCTO MARCELLO
 EPISCOPO PARISIENSI.

Nos decet cantus renovare, cives.

Insulâ frontem redimitus aureâ

Civis en noster, modo factus intrat

Civis olympum.

Ille sub Francis rudioris ævi

Regibus, duxit sine labe vitam;

Quem sibi primis Pietas alumnorum

Finxit ab annis.

Inter obscuros latitans parentes;

Omnibus fuit pietate notus,

Creber in templo puer, ante tempus

Pene Sacerdos.

Civitas monstris stupefacta magnis,

Hunc Deo carum simul atque novit;

Vellet ad sacros, pateretur ætas

Tollere honores.

Dum manu nudâ puer igne massam

Tractat ardentem, venefatur ignis,

Vimque dediscit, timet innocentem

Lædere dextram.

Sacra dum sanctis peraguntur aris;

In merum vertit latices aquarum;

Fit Dei sanguis, bibit unde plenam

Turba salutem.

Quin & invergens manibus lavandis
 Mox aquam mutat, stupuit sacerdos,
 Cum manus pingui velut unctæ olive
 Balsama spirant.

QUID times sacris, venerande Præsul,
 Infulis sacram redimire frontem?
 Te Deus poscit; facilis precantum
 Annue votis.

Annuit; læti cecinere cives,
 Protinus cælo nova lux sereno
 Ad novos fausti radiasse visa
 Sideris ortus.

Se probat patrem, docet imperitos;
 Erigit tristes, inopesque pascit,
 Fidus illæsum vigilando pascor
 Servat ovile.

Dum draco totâ metuendus urbe
 Rodit, in poenam scelerum, cadaver;
 Hunc Deo fretus ligat, & profundum
 In nemus egit.

Ibat exultans, comitante turbâ
 Belluâ victor domitâ superbus;
 Hic suos monstrat Pietas triumphos
 Sub duce Christo.

Ad sacras vellet reus ire mensas;
 Sed graves obstant scelerum catenæ;
 Solvit, optatis bene poenitentem
 Reddit & aris.

Quæ dies tanto celebrata cultu ?
Civitas omnis vetus ad sepulchrum
Advolat , cuius cineres recondit
Terra beatos.

Hoc memor quondam tumultata faxo ;
Sacra MARCELLI veneratur ossa ;
Quisquis hic orat , sibi mox probabit
Numen amicum.

Prisca nostrorum pietas avorum
Fluxit ex illo , rediviva surgat ;
Quod adhuc servat cinis , hic sepultos
Suscitet ignes.

Quæ fuit vivo tibi cura , Præsul ,
Hanc licet vestus super altra , serves
Et tuam , nostræ bone tutor urbis ,
Respice gentem.

Hæc Deo cives poluere templa ;
Quæ tuum dicent sine fine nomen ;
Jure te civem vocat & patronum ,
Civis & hospes.

Nostra te summum celebrent Parentem
Ora , te summo genitum Parente ;
Par sit amborum tibi laus per omne ;
Spiritus , ævum.



XI. NOVEMBRIS.

DIVO MARTINO

EPISCOPO TURONENSI.

ECQUIS arduentes rapitur per auras,
 Ille quis pauper petit, astra dives?
 Cœlites plaudunt, comitemur hymnis
 Astra petentem.

Flore sub primo juvenilis ævi,
 Cæsarum jussu tulit arma miles;
 Moxque deponet: tibi, Christe, nomen
 Tyro professus.

Non furor belli bene Christianum.
 Pectus infregit; pius inter arma
 Integros servat, semel obligato
 Nomine, mores.

Pauperi pauper malè membra nudo
 Dividit vestem, mediâque Christus
 Obtulit se se tunicâ micantem,
 Nocte sequenti.

Fonte lustratur; meliore testes.
 Se sacramento vovet inter aras,
 Induit Christum, simul ac profana
 Exuit arma.

Hinc capit vires; velit Imperator;
 Solus adversos penetrabit hostes,
 Una Crux Christi, velut umbo, se
 Omnia contra.

Sed novus miles nova bella tentat;
 Scivit in se se sibi factus hostis;
 Unde majores sibi pollicetur
 Terre triumphos.

Qua

Q u o fugis præceps ? latitare nescit
 Mille portentis manifesta virtus ;
 Præfulem jam te feret in supremum ;
 Turo tribunal.

Non tumet fastu , neque splendet auro ;
 Sordidam servat velut antè vestem ;
 Ora deformi dabat una virtus ,
 Unde niteret.

Spreverit vili quis eum lacernâ ;
 Cujus ad nutus elementa parent ;
 Scilicet jussu posuere fractis
 Viribus ignes.

Redditur Cæco sua lux , & auris
 Redditur Surdo , sua lingua Muto ;
 Impari qui vix pede claudus ibat ,
 Ambulat æquo.

Imperat morbis , abigit malignos
 Spiritus , Divûm simulacra vertit ,
 Luce defunctos vocat ad prioris
 Munera vitæ.

Fertur immani ruitura mole
 Arbor , exciso trepidasse trunco ;
 Sustinet lapsum , capitiq; sacro a-
 versa pepercit.

Luminis splendor , Patris una Proles ;
 Christe te pronus veneretur orbis ,
 Qui Sacerdotes per Amoris alui
 Flamen inungis.



THURB fumantes quis hic inter aras,
Verticem cuius sacra flamma lambit?
Intus ardebat melius sacratâ

Pectoris arâ.

Regis accumbens epulis tuetur
Præfulum Præsul bene par honorem.
Ipsa tunc vilem minor ante pannum,
Purpura pallet.

O virum! qualem Pietas petebat,
Quem fides nullis labefacta seclis
Non semel sensit medios per enses,
Sacra tuentem.

Læditur probris, sibi semper idem
Nescit irasci, fera corda placat,
Et suos tantum cumulando donis
Subjicit hostes.

Nec truci quamvis caput immolandum
Pro Dei causâ posuit sub ense,
Martyris palmam retulit, vel isto
Dignus honore.

Ut mori sensit moribunda membra,
Membra non molli jacuere lecto,
Vile. quin stramen sibi durus aufert,
Terra, cubile.

Hic manus tendens, resupinus alto
Figit immotos oculos olympo,
Ut celer notum per iter volaret
Spiritus astris.

Quando stellatos propè tangit axes;
Et Deo jam jam fruiturus ardet,
Si gregi profit, patiens iniquis
Vivere terris.

Hujus ad sacros cineres superbi
Sponte deponunt sua scepra Reges :
Turba languentum repetit petitam

Ægra salutem.

Luminis splendor , Patris una Proles ;
Christe , te pronus veneretur orbis ,
Qui Sacerdotes per Amoris almi
Flamen inungis.

XXII. NOVEMBRIS.

IN SANCTAM CÆCILIAM.

FESTIS læta sonent cantibus organa ,
Terris sacra redit Cæciliæ dies ;
Mixtas , Aligeri , cum citharis lyras
Nostris jungite vocibus.

Vestris illa fuit debita cœtibus ,
Dum terras habitat nobilis æmula
Ut vos exprimeret , corporis inmemor ;
Votis astra præoccupat.

Quid non sanctus Amor ? fortiter ambit
Christo virgineum fundere sanguinem ,
Oblii meminit tunc benè corporis ,
Præclaræ sitiens necis.

Vobis , sorte suâ , virgo beatior ;
Nam , quâ parte minor , vos supereminet ;
Immortale genus , quæ potuit mori ,
Veri victima Numinis.

Solo digna Deo conjuge respuit
Mortales thalamos ; jam dederat fidem.
Quam divina ligant pacta , quis audeat
Hanc impunè reposcere.

Decantat Domino, dulcè sonantibus
 Docta virgo manu quos animat tubis;
 Purum, ne peream, des mihi cor, Deus,
 Fiat corpus & integrum.

SUNT Virginales nuptiæ,
 Quibus Deo mens jungitur.
 Si prole terras non replent,
 Replent olympum civibus.
 Exosa mortales thoros
 Hæc virgo, verbi semine,
 Quot Christianos parturit,
 Jam jam futuros martyres!
 Stupentè naturâ vices
 Mutantur: ô verbum potens!
 Fit sponsa jam sponsi parens,
 Et prima proles, sponsus est.
 Quæ virginis fœcunditas!
 Sponsum Deo virgo parit.
 Quàm conjugalis hæc fides
 Quæ ferre dat Christi jugum!
 Non illecebris allicit
 Audax minis quem terreat.
 Arcana quæ celaverat,
 Pandit Dei mysteria.
 Illapsa menti conjugis
 Pectus subibat veritas;
 Se casta miscebat fides,
 Docetur & cedit Deo.
 Ardens novis amoribus
 Non ampliùs de nuptiis
 Valerianus cogitat.
 Illuxit illi Veritas.

Felix nimis connubium,
 Quo veritati jungimur !
 Æterna sunt hæc fœdera,
 Quæ nulla dissolvat dies.
 Sic summa laus summo Patri,
 Et par cœvo Filio,
 Cum Spiritu, qui numine
 Suo replevit Virginem.

CASTIS amoris ignibus
 Cedant faces libidinis.

Mens pasta puro lumine,
 Servire nescit corpori.

Nil juris in me nunc habes,
 O sponse ! Virgo dixerat ;
 Qui me sibi junxit prius,
 Totam sibi me vindicat.

Custos pudici corporis,
 Missus supernis sedibus,
 Quem mox videbis, Aliger,
 Velut satelles, excubat.

Si fonte sacro diluas,
 Ortus tui contagia,
 Nox cedit, & menti novæ
 Cœlestis accedet dies.

Paret. Salubri tingitur
 Lustralis undæ flumine.
 Valeriano se se addidit
 Frater comes Tiburtius.

Mox temperato lumine
 Se se videndum præbuit,
 Juxta latus qui virginis
 Adstans latebat Angelus.

Fratres novo qui nomine
 Se Christianos prædicant,
 Hâc sub magistrâ Virgine
 Fortes viri discunt mori.

Dux virgo facti, jam suos
 Inter triumphat martyres:
 Instantis & necis suæ,
 Et gloriæ præludia.

Nunc nunc sonantis organi
 Inflata vocales tubos,
 Et fistulas & cornua;
 Pulsate læta tympana.

Sit laus tibi, Rex Virginum,
 Sit laus tibi, Dux Martyrum,
 Trahens amore Virgines,
 Ungens cruore Martyres.

UT Virgines decet pudor,
 Sic est decens audacia;
 Temnunt rogos, rident neces,
 Omnesque poenas provocant.

Flammis abeno fervido
 Pudica virgo mergitur:
 Sed unda certat ignibus,
 Nec frigus amittit suum.

Emergit inde purior,
 Stupet tyrannus, infremit,
 Tormenta cedant martyri,
 Quæ nescit illis cedere.

Instar columbæ deferet
 Terras, procellis altior;
 Et quem sitit, quem deperit,
 Sponsi volabit in sinum.

Tres Martyres fecit furor,
 Amor sibi tres vindicat?
 O vos furoris victimæ!
 O vos amoris hostiæ!

F u s o purpurei sanguine Martyres
 Et puro niveæ pectore Virgines,
 Christi CÆCILIAM dicite Virginem,
 Christi dicite Martyrem.

Illi non satis est, magnanimâ fide
 Et ridere Deos, judicis & minas;
 Quæ dat martyribus sola Deo frui,
 Ardens accelerat necem.

Anceps carnificis dum trepidat manus
 Incertoque caput vulnere percutit;
 Ter percussa, suâ de nece fortior
 Ter Virgo meruit mori.

Non oblata semel se vovet hostia,
 Longo supplicii tempore multiplex.
 Se se morte probat, quæ quoties cadit,
 Expirans toties litat.

Manat vulneribus virgineus cruor
 Admotâ trepidi syndone quem legunt,
 Ut discant pugiles tincta cruoribus
 Non horrescere funera.

O fumantis adhuc purpura sanguinis!
 Hac induta magis Virginitas nitet.
 Non sic gemmiferis candida virgines
 Ornant colla monilibus.

Sancti, dum moritur, propositi tenax,
 Firmat Christiadas, dedocet impios;
 Jam visura Deum tres animosior
 Christi præco docet dies.

I iv

Fac nos, Christe, tuæ Virginis æmulos,

Quâ pro te moritur, ritè sequi fidem:

Et dum vita manet, da tibi vivere,

Et cum mors veniet, mori.

Da te, summe Pater, tollere laudibus;

Da te, Christe, sequi, laurea Virginum;

Per te, divus amor, frigida pectora.

Puris ignibus ardeant.

DIVO ARNULPHO MARTYRI.

HUc, ARNULPHÆ, tibi sacra dies redit;

Terras non pigeat, nosque revivere:

Ut quas ritè preces fundimus annuas,

Per te suscipiat Deus.

Sint qui Pontificem te sibi vindicent,

Dicant cumque tuâ conjuge cœlibem,

Fuso te celebrent sanguine Martyrem,

Laus triplex tibi convenit.

Cunctis Cœlitibus laus sua competit,

Palnam quisque suam pro meritis tenet,

Sed tu tergemini clarus honoribus,

Divis invidiam facis.

Per totas Fidei semina Gallias

Spargis; te Pietas fecit Apostolum.

Cogi limitibus nescit, ut omnibus

Prosit prodiga Charitas.

Dam diversa vagus per loca Pontifex

Sacrum munus obis, percuteris, cadis.

Testis silva tuis tincta cruoribus

Crimen vidit, & horruit.

Hic stans ara vetus, fusus ubi cruor;

Consecrata tuo nomine vivitur.

Detestata scelus , quâ Pietas potest ,

Fufis fletibus expiat.

Sedes nemo facras crimine polluat ;

His ARNULPHUS adhuc fedibus excubat.

Et nos non pudeat lambere fupplīces

Hic veftigia fanguinis.

Patri maxima laus , maxima Filio ,

Amborumque facro maxima Flamini ;

Fulti cujus ope prælia fuftinent

Contemptâ nece Martyres.

DEBET quanta Patri , qui modò deferet

Vitam , quam recipit de patre , filius ;

Te Chrifto genuit Remgius , dedit

Æternum tibi vivere.

Præceptis Pietas quæ femel imbuīt

Lactentes pueros , nos fequitur fenes ;

Quæ nos ritè Deo vivere præcipit ,

Hæc nos imperat & mori.

Verbo per populos quem refonas Deum ;

Sed quem tu melius morte tuâ probas ;

Illi totus amas fundere fanguinem ,

Effudit tibi qui fuum.

Patri maxinia laus , maxima Filio ,

Amborumque facro maxima Flamini ;

Fulti cujus ope prælia fuftinent

Contemptâ nece Martyres.

CHRISTI fponfa , facris integra nuptiis

Quantis Virgo parens fulget honoribus !

Iunctos connubio quæ thalami facit

Rupto fœdere coelibes.

Scariberga pii propositi tenax,
 Mansit virgo sui conjugis abstinens,
 Æquis unanimes se pariter ligant
 Ambo conditionibus.

Non hoc connubium prole caret suâ,
 Nec mater sterilis, nec sterilis pater.
 Ambo quàm melius parturiunt sacro
 Verbi semine filios !

Sanctis præco Dei functe laboribus,
 Dirâ morte cadis, sanguine quem doces
 Firmas ipse fidem; non poterat tibi
 Quid contingere dulcius.

Quæ non ad thalamum scœmina venerat,
 Ad sponsi tumulum protinùs advolat;
 Tam sanctos cineres, quos lacrymis rigat,
 Effossa sub humo tegit.

Patri maxima laus, maxima Filio,
 Amborumque sacro maxima Flamini,
 Fulti cujus ope prælia sustinent
 Contemptâ nece Martyres.

COMMUNE SANCTORUM.

SANCTIS APOSTOLIS.

COELESTIS aula Principes,
 Sacri duces exercitûs;
 Bissena mundi lumina,
 Olim saturi iudices.

Mersis gravi caligine,
 Per vos dies renascitur;
 Quos vanus error tulerat,
 Illustrat alma Veritas.

Non vi , nec armis militum ,
 Fandi nec ullis artibus ;
 Verbo sed irritæ Crucis ,
 Christo rebelles subditis.

Quibus gemebat subditus ;
 Rumpuntur orbis vincula :
 Jam gaudet excusso jugo ,
 Liber Dei sub legibus.

Vulgata terris omnibus ;
 Per vos Dei mysteria :
 Sic vestra terris omnibus ,
 Præclara facta personant.

Uni sit & trino Deo
 Suprema laus , summum decus ;
 De nocte , qui nos ad suæ
 Lumen vocavit gloriæ.

SUPREME quales Arbitr
 Tibi ministros eligis ,
 Tuas opes qui vilibus
 Vasis aras committere !

Hæc nempe plena lumine
 Tu vasa frangi præcipis :
 Lux inde magna rumpitur ,
 Ceu nube scissâ , fulgura.

Totum per orbem nuntii ,
 Nubes velut , citi volant :
 Verbo graves , Verbo Deo ,
 Tonant , coruscant , perpluunt.

Christum sonant : versæ ruunt
 Arces superbæ dæmonum :
 Circùm tubis clangentibus ,
 Sic versa quondam mœnia.

Fac , Chrifte , cœlestes tubæ
 Somno graves nos excitent ;
 Accensa de te lumina
 Pellant tenebras mentium.
 Uni sit & trino Deo
 Suprema laus , summum decus ;
 De nocte qui nos ad suæ
 Lumen vocavit gloriæ.

QUEM misit in terras Deus ,
 Ut morte nos servet suâ ,
 Amoris hic fidos sui
 Vos eligit vicarios.
 Occisus Agnus à lupis ,
 Vos misit agnos ad lupos ;
 Mores ferinos eximit ,
 Agni repente de lupis.
 Quæ victimarum cadibus
 Tellus madebat impiis ,
 Vestris eam sudoribus ,
 Vestro piastis sanguine.
 Hoc core facta pinguior ,
 Quot illa fructus protulit !
 Quæ , quanta surrexit seges !
 Et ista nos seges satius.
 Quam si bonus respexeris ,
 Qui das rigatis crescere ,
 Frumenta nos cœlestibus
 Matura condas horreis.
 Uni sit & trino Deo
 Suprema laus , summum decus
 De nocte , qui nos ad suæ
 Lumen vocavit gloriæ.

SANCTIS APOSTOLIS
Tempore Paschali.

CUI se reliſtis omnibus ,
 Addixerant Apoſtoli ,
 Trifles recenti funere
 Jeſum dolebant mortuum.

At vos dolorem ponite :
 Se ſuſcitavit mortuum ,
 Indigna mortis vincula
 Rumpendo, ſe probat Deum.

Pervadit oclulas fores ,
 Veſtro videre ſe chore ,
 Artus ſacros dat tangere ,
 Nec temnit oblatas cæpes.

Servata monſtrat vulnèra
 Noſtræ ſalutis obſides :
 O quanta nubes teſtium
 Fidem ſepultam ſuſcitât !

Apoſtolorum ſenſibus
 Qui te revelati , Deus ,
 Et te , vacillet ne fides ,
 Noſtris revela mentibus.

Sit laus Patri , laus Filio ,
 Qui nos triumphatâ nece ,
 Ad aſtra ſecum tranſtulit :
 Compar tibi laus , Spiritus.

REGNIS paternis debitus ,
 Cruore quæ pandit ſuo ,
 Vos propter , hoſpes exteras
 Adhuc colit terras Deus.

Ignota tardis mentibus
 Patere dat mysteria ,
 Per mille praeſagas fui
 Se detegens imagines.
 En immolandus à Patre ;
 Suum ferens lignum puer :
 En Agnus ille , ſanguine
 Qui tinſta ſervat limina.
 Amoris ô quæ pignora !
 Vobis oves credit ſuas :
 Ligare dat , dat ſolvere ,
 Quæ ſolvit & ligat Deus.
 Da , Chriſte , tecum nos mori ;
 Tecum ſimul da ſurgere ,
 Terrena da contemnere ,
 Amare da coeleſtia .
 Sit laus Patri , laus Filio ;
 Qui nos , triumphatâ nece ,
 Ad aſtra ſecum tranſtulit :
 Compar tibi laus , Spiritus .

NATUS Parenti redditus
 Non vos amicos deſeret :
 Sub imbre lapſum flammeo
 Infundet in vos Spiritum.
 Hauſto repleti Numine ,
 Terras in omnes liberi ,
 Chriſtum tubis coeleſtibus
 Chriſtum Deum vulgabitis.
 Non jam tenebit ampliùs
 Formido mortis abditos :
 Aperta non , euntibus
 Addent moras pericula .

Vos ante Reges fortiter
 Spernetis armatas neces :
 Hæc nempe pro Christo mori
 Suprema vobis gloria.
 Orate , firma sit Fides
 Et certa se Spes erigat ;
 Hæpfa nostris cordibus
 Pellat timorem Charitas.
 Sit laus Patri , laus Filio ;
 Qui nos , triumphatâ nece ,
 Ad astra secum transtulit :
 Compar tibi laus , Spiritus.

SANCTIS EVANGELISTIS.

CHRISTI perennes nuntii,
 Reteſta qui cœleſtibus
 Scriptis Dei myſteria
 Totum per orbem ſpargitis.
 Olim ſub umbris condita,
 Vates ſacri quæ viderant ;
 Umbris procul cedentibus ,
 Vidiftis hæc pleno die.
 Humana quæ talis Deus
 Divina quæ geſſit * homo ,
 Seris legenda poſteris ,
 Diſtante ſcripſiſtis Deo.
 Loco remotos , tempore ,
 Vox rexit idem ſpiritus ,
 Et quiſque , pro ductu Dei ,
 Scribendo Chriſtam reddidit.

* Sic peccaſſe gloriabor , ut pietati conſulam.

Nos ut doceret , induit
 Vocis sonos , Verbum Patris :
 Vestris adhuc in paginis
 Nobis loqui non desinit.
 Uni sit & trino Deo
 Suprema laus , summum decus ,
 De nocte qui nos ad suæ
 Lumen vocavit gloriæ.

SINE sub alto vertice ,
 Coelo tonante , lex data ;
 Inter turbas & fulgura
 Præsens minabatur Deus.
 Nunc , temperato Numine ;
 Per vela carnis blandius
 Amat videri , languidis
 Se lumen aptans sensibus.
 Insculpta saxo lex vetus
 Præcepta , non vires dabat :
 Inscripta cordi lex nova ,
 Quidquid jubet , dat exequi.
 Scripsistis hanc fidâ manu ,
 Hanc voce , voci consonis
 Hanc prædicastis moribus ,
 Signastis hanc & sanguine.
 Afflante dîvo Spiritu ,
 Quæ verba vitæ traditis ;
 Hæc ille nostris imprimat
 Delenda numquam cordibus.
 Uni sit & trino Deo
 Suprema laus , summum decus ,
 De nocte qui nos ad suæ
 Lumen vocavit gloriæ.

MARTYRI.

Ex quo , salus mortalium,
 Fluxit sacer : Dei truxor ;
 Homo redemptus æmulum
 Deo litavit sanguinem.

Non jam Crucis Christi pudet :
 Quin surgit ingens gloria ,
 Deum fateri mortuum ,
 Pro mortuo mori Deo !

Hoc ille plenus Spiritu
 Ridet minas , ridet neces ,
 Tuâque fretus dexterâ .
 Tibi , Redemptor ; militat.

~~Parata spectans præmia ,~~
 Securus ad poenas volat ;
 Sic pugnat , ut speret mori ,
 Et morte mortem vincere.

Unus tot armatas manus
 Stupente lassat iudicē ;
 Et tortus ipse qui cadit ,
 Torquentibus fit fortior.

Da , Christe , tanti militis
 Æquare facta fortia :
 Da sustinere pro tuo ,
 Quodcumque durum , nomine.

FELIX morte tuâ , qui cruciatibus ,
 Cœlo difficilem rumpere amas viam ,
 Et signare cruore ,
 Quam Christo dederas , fidem.

Poenis victa quibus deficeret fides ;

Tu poenas avida mente præoccupas :

Cui non sufficit una ,

Ambis innumeras neces.

Te pro lege suâ magnanimum mori ;

Te Christus pugilem spectat ab æthere :

Ne succumbere possis ,

Tecum prælia sustinet.

Et nos delicias , vana per otia ,

Gens infida Deo , quærimus anxii ;

Quid torpemus ? inertes

Sanguis Martyris excitat.

Semper maxima laus ingenito Patri ;

Semper laus genito maxima Filio ;

Sacri nexus amoris ,

Sit laus par tibi , Spiritus.

JAM non te lacerant carnificum manus ,
Inter qui recubas Cœlituum choros :

Nunc pro carcere cæco ,

Fulgentes habitas domos.

Non jam vincla manus , non cohibent pedes ;

Tu liber superûm regna perambulas :

Quot plagis laniatus ,

Cœlo tot radiis nites.

Nec te dira fames , nec sitis amplius ;

Nec probrosa premit te modò nuditas :

Nunc te lumine puro

Pascit Christus & induit.

Sic tu Martyribus dexter ades , Deus ;

Ut quos mors perimit , gloria vindicet ;

Confundisque tyrannum ,

Dum quos deprimit , elevas.

Semper maxima laus ingenito Patri ;

Semper laus genito maxima Filio ;

Sacri nexūs amoris ,

Sit laus par tibi , Spiritus.

PLURIBUS MARTYRIBUS.

FORTES cadendo Martyres ,

Quos empta fuso sanguine ,

Cœlestis ornat purpura ,

Junctis canamus vocibus.

Asti procellis omnibus ,

Sui cruoris flumine

Vehuntur , & Christo duce ;

Portus beatos occupant.

Sævitur tyrannus , allicit :

Temnunt minas , temnunt preces ;

Deum minantem dum timent ;

Dum munerantem diligunt.

Quem lictor insanus sitit ;

Quem cæcus effundit furor ,

Amor sacerdos prodigum

Christo cruorem consecrat.

Et ille mixtus sanguini ,

Quem fudit in ligno Deus ,

Fudentibus placabilem

Orare non cessat Deum.

Implere vos omnes decet

Passo Deo quod defuit ;

Per tot neces læso Patri

Fit plena Christus hostia.

Æterne tu Verbi Pater ;

Æterne Fili , par Patri ,

Et par utrique , Spiritus ,

Tibi , Deus , sit gloria.

QUAM, Christe, signasti viam
 Primus profuso sanguine,
 Per hanc tui te fortiter
 Ducem sequuntur milites.

Fossus manus, fossus pedes;
 Ovans ad astra transvolas;
 Et membra trunci Martyres,
 Addunt triumpho se tuo.

Omnes in ostro splendidi
 Tuum tribunal ambiunt:
 Accepta monstrant vulnere;
 Et per tot ora supplicant.

Audire si nos respuis,
 Quos criminum moles gravat;
 Audi tuos qui sanguinem
 Fudere pro te, Martyres.

Fac, si tyrannus delicit,
 Ne blandiendo mollius
 Frangat voluptas pectora,
 Ipsis tyrannis sævior.

Æterne tu Verbi Pater,
 Æterne Fili, par Patri,
 Et par utrique, Spiritus,
 Tibi, Deus, sit gloria.

SANCTIS PONTIFICIBUS.

CHRISTE, decreto Patris institutus
 Pontifex summo, tibi, qui fideles,
 Quos legis, formas populis regendis
 Ipse ministros.

Hunc juvat festo celebrare cantu,
 Qui licet magnis meritis abundans,
 Flens & invitus, duce te, tremendum

Sumpsit honorem.

Noverat quantis pateat periclis
 Ille, qui summos apices adeptus,
 Omnium curas, sibi raptus uni,
 Sustinet omnes.

Fecerat fervens amor inquietum;
 Quò gregis cari pia cura poscit,
 Advolat promptus, mora non euntem
 Ulla retardat.

Dux iter, vitâ praeunte, monstrat,
 Comprobat factis sua dicta magnis;
 Et domum sanctam bene olente Christi
 Implet odore.

Lux erat caeco, columnen labanti,
 Una spes lapsò, misero levamen,
 Providus cunctis pater, omnibusque
 Omnia factus.

Christe, Pastorum bonus ipse Pastor,
 Qui greges pascis proprio cruore,
 Fac ut aeternæ subeant opima
 Pascua vitæ.

SANCTIS DOCTORIBUS.

O, QUI perpetuus nos monitor doces,
 Vox æterna Patris, Christe, vicarios
 Doctores, patrias cum remeas domos,
 Nobis quàm benè suppetis!
 Hi semper vigilant, ne quid adulterum
 Corrumpat Fidei virginem decus:

Lædi vel leviter non patitur Fides,

His custodibus integra.

Infames abolent reliquias deûm ;

Errores abigunt, crimina dedocent ;

Christo restituant, quos malè credulos

Mendax luserat hæresis.

Patrum canitiem, tot venerabiles

Rugas objiciunt, undè nitet Fides :

Quæ sunt prisca, docent ; quæ nova, subruunt :

Servant depositum Dei.

Sit suprema tibi gloria, Veritas,

Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,

Nullo vocis egens, corda doces, sono,

Et te mentibus inferis.

JAM nunc, quæ numeras tot tibi vindices,

Effer sidereum Relligio caput :

Quot sunt mota tibi prælia, nobiles

Tot nectis tibi laureas.

Cum per mille neces Impietas furit,

Opponis valido pectore Martyres :

Cum per mille dolos decipit Hæresis,

Doctores tibi suscitās.

Quando sparsa lues undique criminum,

Hi gliscens vitium protinus amputant,

Quando plurima nox mentibus incubat,

Hi plenum revehunt diem.

Firmant instabiles, & dubios regunt,

Monstrant tutā procul littora naufragis :

Nobis, qui vehimur cæca per æquora,

Lucent perpetuæ faces.

Quæ dixere tuis consona sensibus,

Nostri illa, Deus, cordibus imprimas

Quos terris colimus , quos sequimur duces ;

Fac nos moribus assequi.

Sit suprema tibi gloria , Veritas ,

Quæ per scripta Patrum quando foris sonas ,

Nulla vocis egens , corda doces , sono ,

Et te mentibus inferis.

Vos succensa Deo splendida lumina :

Vos Sal, nos homines quo sapimus Deum ;

Ævum , puri animo , moribus integri ,

Quo condimur in alterum.

Per vos Religio , tutaque Veritas ;

Per vos virgineis fulget honoribus :

Per vos Christus amat pandere divites

Thesauros sapientiæ.

Vestris unda fluit pura canalibus ;

Christi floret ager ; munda nitet feges ;

Lac aptum pueris , & solidum viris

Cauti sufficitis cibum.

Hi sunt , summe Deus , qui tibi militant ;

Hi sunt qui stabiles ædificant domos :

Unâ docta cohors arma tenet manu ,

Muros construit alterâ.

Vicistis stygias vos quibus hæreses ,

Hæc nos accipimus tela superstitēs ;

His pugnamus adhuc , nec dubio exitu

His armis quoque vincimus.

SANCTIS MONACHIS.

FELICES nemorum pangimus incolas ,

Certo consilio quos Deus abdidit ,

Ne contagio seclī

Mores læderet integros.

Ut te possideant, quem sitiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque deserunt:

Totus viluit orbis,

Dum ecclesia cogitant.

Nudi, prompti, alacres, liberi ab omnibus;

Ad luctam pugiles ocius advolant;

Ut vastum mare tranent,

Prudentes onus exuunt.

Æternas ut opes, certaue gaudia

Securi rapiant, omnia ludicra

Sano pectore temnunt,

Confisi melioribus.

Illis summa fuit gloria, despici;

Illis divitiæ, pauperiem pati;

Illis summa voluptas,

Longo supplicio mori.

Fac nos, summe Deus, quæ patimur mala;

In poenam scelerum ferre libentius;

Et tellure relicta,

Immortalia quærere.

Æternus sit honos ingenito Patri;

Sit par unigenæ glória Filio,

Sacri nexûs amoris,

Laus compar tibi, Spiritus.

O PULCHRA s acies, castraque fortia,

Quæ Spes, una Fides, unus Amor regit.

Omnes legè sub unâ,

Uno sub dace militant.

Heu! quantis rapiunt astra laboribus!

Pulsant perpetuis questibus æthera,

Per jejunia longa

Vires corporis atterunt.

Votis

Votis unanimes, vi quoque fletuum

Instant, & socias ingeminant preces,

Et concordibus armis,

Vim coelo simul inferunt.

Hæc vis grata Deo; sic amat optimus

Vinci per lacrymas, per gemitus Pater;

Sic duris referatur

Coelum conditionibus.

Fervent quando die cuncta tumultibus;

Altum turba silet; cetera dum tacent;

Hi per cantica rumpunt

Noctis longa silentia.

Exercet vigiles continuus labor;

Incumbunt operi non resides manus;

Tellus culta colonis

Victum suppeditat suis.

Quin regina sui mens quoque subditur;

Rectorisque studet nutibus obsequi,

Nil servat sibi juris,

Capto liberior iugo.

SANCTIS CONFESSORIBUS.

Non parta solo sanguine.

Ornat beatos purpura:

Sunt incruenta, quæ suos

Habent triumphos, prælia.

Non iste flammas, non cruces;

Non sensit uncas pestines:

Crudelis & durus sibi

Se morte lentâ conficit.

Si licitor illi defuit

Si vincla, fustes, ungulae;

Parata pro Christo mori,

Hoc supplet omne Caritas.

Corpus subegit Castitas,

Et liberam mentem Fides,

Amor supernis ignibus,

Totam litavit hostiam.

Venis apertis omnibus,

Qui vellet ultro erumpere,

Fraudatus optatâ viâ,

Et fusus in fletum cruor.

Da, Christe, sic nos vivere;

Discamus ut semper mori:

Da, post brevis vitæ dies,

Vitæ perennis gaudia.

Æterne pater Verbi Pater,

Æterne Fili par Patri,

Et par utrique, Spiritus,

Tibi, Deus, sit gloria.

TUA beandos gloriâ,
Miris, Deus, probas modis;

Qui, dum lates, præsentior,

Votis amantium palceris.

Procul remoti, supplices

Tendant manum, & patrium

Per vota, per suspiria,

Coelum salutant exules.

Te sola mors cum det frui,

Se se necant laboribus,

Se se necant jejuniis,

Et, quâ licet, vellent mori.

Quam, morte promptâ, fervidi
 Emere palmam Martyres;
 Hic doctus in dies mori,
 Longo reportat funere.

QUI te Deus, sub intimo,
 Amans recepit pectore,
 Non ille terras amplius
 Suspirat, oblitus fui.

Quid ergo gaudes nescire
 Tristes moras amantibus?
 Terris retardas exules,
 Cives polo quos destinās.

Hinc fervet in dies amor;
 In vota toti diffuunt:
 Ad astra festinantibus
 Fit poena, vita longior.

Vix iste tardi corporis
 Pondus molestum sustinet;
 Præ mortis occupat diem,
 Ardens Deo se jungere.

SANCTIS VIRGINIBUS.

CÆLESTIS aula panditur;
 En sponsus; omnes obvix,
 Exite sponso Virgini,
 Exite, sponsæ Virgines.

Hæc nuptialis est dies,
 Quæ, longa post suspiria,
 Dat omnibus, dat singulis,
 Jam plenius frui Deo.

Quæ casta vobis gaudia,
 Quos afflet ignes, dicite,
 Ab ore cuius purior
 Torrens voluptas effluit?

Hunc propter unum viluit
 Superba Regum purpura:
 Dotata quæ sponso Deo,

Quid Virgo terris ambiat?

O virginales nuptiæ

Per quas caro fit spiritus!

O dulce vinculum, jungitur

Quo mens Deo, menti Deus!

Sit laus Patri, laus Filio,

Sit par tibi laus, Spiritus,

Divina qui perennibus

Firmas sigillis foedera.

VIRGINIBUS MARTYRIBUS.

CÆLESTES pueri, dulcè sonantibus.

Omnes nunc cytharis dicite Virginem;

Nunc aptate tubas, sumite tympana,

Christi dicite Martyrem.

Vestris illa fuit debita coetibus,

Quæ mortalis adhuc, nobilis æmula;

Ut vos exprimeret, dedit genus,

Virgo corporis immemor.

Sed quid cogis amor? fortiter ambiit

Sponso virgineum fundere sanguinem;

Obliti meminit tunc bene corporis,

Præclaræ sitiens necis.

Sic quâ parte minor, vos supereminet;

Immortale genus, quæ potuit mori,

Et per damna sui corporis, integram
Testari Domino fidem.

Patri maxima laus, maxima Filio,
Amborumque sacro maxima Flamini;
A quo magnanimæ prælia sustinent,
Spreto funere, Virgines.

VIRGINUM robur, Deus, atque custos:

Sexus imbellis, medios per enses,
Dum faves, quas non superat viri
Pectore mortes!

Pro tuis aris animosa Virgo
Molle dat poenis lacerare corpus;
Non suos sentit, memor ô! tuorum;
Christe, dolorum.

Non graves plagæ, validi nec ictus
Integram possunt violare mentem;
Quin sacri crescit magis obstinatus
Ardor amoris.

Sponsa dilecto placitura sponso
Despicit ruptum laniata corpus:
Est suus truncis honor, & venustas
Est sua membris.

Omnis à Recto fuit ille splendor:
Christe, sic olim, cruce tensus altâ,
Obsequens Patri laceros placebas
Horridus artus.

Summa laus Patri, genitoque Verbo;
Et tibi compar, utriusque Nexus,
Fac tibi semper placeamus uni,
Moribus æquis.

QUID sacram, Virgo, generosa Martyr,

Ambiunt frontem duplices coronæ ?

Nempe non unum gemino reportas

Hoste triumphum.

Mollior fregit neque te Voluptas,

Impotens flexit neque te Tyrannus ;

Tu graves poenas, pariterque blandos

Vincis amores.

Liliis sponsus recubat, rosisque ;

Tu, tuo semper bene fida sponso,

Et rosas Martyr, simul & dedisti

Lilia Virgo.

MULIERIBUS SANCTIS.

JAM cuncta cantu personent,

Adeste sanctæ Conjuges ;

En illa fortis Fœmina,

Inter triumphat Cœlites.

Blandos ut hostes vinceret,

Hanc fortitudo vestit,

Ut prosit intuentibus,

Cœlestis ornavit decor.

Non vana pompa seculi

Sensus fefellit, nec malis

Gliscens voluptas artibus

Virile pectus molliit.

Non illa luxu vestium,

Non crine torto splenduit :

Cultu nitens sed simplice,

Puris placebat moribus.

Se sub serenis vultibus
 Austera virtus occulit ;
 Timet videri, ne suum ,
 Dum prodit , amittat decus.
 Pascenda cœlesti cibo ,
 Sacris studebat litteris ;
 Templo frequens, sed sedula
 Redibat ad curam domûs.

ARDET Deo quæ Fœmina,
 Latere frustra cogitat :
 Quot indigos hæc subleuat,
 Tot proditur præconibus.
 Prodesse quærit omnibus ,
 Curis honestis anxia ,
 Patrona , custos Virginûm ,
 Secunda mater orphanis.
 Pannis latentem vilibus
 Christum fovebat hospitem :
 Quas dura subtraxit sibi,
 Opes refundit prodiga.
 Pacem domi , pacem foris
 Alto colit silentio ;
 Lites amat componere ,
 Ut una mens sit omnibus.

OJAM beata, quæ suo
 Tandem soluta corpore ,
 Vinculis perennioribus
 Uni Deo conjungitur !
 Per quos gradus cœlum petit ,
 Hæc ire vos omnes docet ,

Junctæ jugali vinculo,
 Et vos solutæ Conjuges.
 Insignis & nos Fœminæ
 Sequi decet vestigia,
 Magnum vel ipsis quæ fuit
 Virtutis exemplum viris.
 Queis arsit illa, fac, Deus,
 Flagremus & nos ignibus:
 Eoque, quo te vis coli,
 Amore fac mens te colat.



A D C H R I S T U M D E P R E C A T I O .

ACCIPE hîc , CHRIS TE , quod
 tuum est ; ignosce mihi quod meum.
 Tuum est quodcumque verum , quodcumque
 sanctum dixi : Meum , quod bona non bono
 animo tractavi , in re sacrâ non studio tibi
 placendi , poëtico fastu , unde pudet , extrâ
 modum elatus. Dediſti carmina , quibus lau-
 deris ; da mihi preces , da lacrymas , quibus
 ante-actæ vitæ maculas abstergam non satis
 Christianus Poëta : nec me aliquando illo Da-
 vidicâ jaculo confodias : Quare enarras iusti-
 tias meas , & assumis testamentum meum
 per os tuum ? *Psalm. 49.*

A D E U N D E M .

QUOD supplex tibi , CHRIS TE , tuis affusus & aris ,
 Dedico ; te miseri respue vatis opus.
 Hac quæ scripta ténus sine te , data prada favillis
 Pervolitent , meritis scripta pianda rogis ,
 Marmora diffiliante vatem indignata profanum ,
 Vanus & à serâ posteritate legar.
 Inſcribi aternis sola hac mea gloria Fastis :
 Illa sacros vates gloria sola decet.
 O nostri miserere , humilemque agnosce Poëtam ,
 Quis non se se audeat dicere iure tuum !

Kw

226 AD CHRISTUM

Ante aras , ô CHRISTE , vides me multa gementem ,

Et madida effusis fletibus ora vides.

Hic mea me incusant , hic semper crimina pungunt ,

Crimina , qua vasti non lavet unda maris.

Supple , oro , me fusa tui vel sola cruoris

Gutta piare potest ; qua scelus omne piat.

An Servatoris nunc esset inutile nomen ?

Olim polliciti sis memor usque tui.

Quo valeo versu , te iratum flectere conor ,

Ne sis difficilis , non decet ira patrem.

Sed si , CHRISTE , minùs fueris placabilis , audi :

Quas fundent pro me turba beata preces.

Et vos , Divi omnes , præconi assistite vestro ,

Vester si præco est , qui fuit ipse sui.

Et tu , Virgo Parens , non dedignare clientem ;

Qui te sæpe vocat , tu bona sæpe faves.

Placabis , Genitrix , poteris nam flectere Natum ;

Si nequeto nostris flectere carminibus.

Hoc solamen erit , cum mors mea presserit ora ,

Te , CHRISTE , his Hymnis nocte dieque canam.

Nomine tuta tuo , vix carmina nostra peribunt ,

Æterna Fidei pignora certa mea.

Non inferna sonent nostris ululatibus antra ,

Carminibus nostris dum tua templa sonant ,

Nec crucies flammis , qui puris ignibus arsit

Interdum , laudis raptus amore tuæ.

Næ potius superas admitte benignus in arces ,

Cantem ubi cum superis & sine fine melos.



A D C H R I S T U M

P R O R E G E D E P R E C A T I O .

TEMPLA nunc fument , resonentque cantus :

En triumphato LODOÏCUS hoste

Quærit æternas , tibi militando ,

CHRISTE , coronas.

Qui tuos gaudet reparare cultus ,

Qui gregem tuto fugitivum ovili

Reddit , & vindex tua qui tuetur

Sacra , tuere.

Bellica vix dum memor ille laudis ,

Cuncta qui subdit , tibi servit uni.

Imperes unus , satis imperabit ,

Te duce , Princeps.

Tuque , quam Francus quoties vocavit

Multa confidens , toties benignam

Sensit : hic per te , bona Virgo , longos

Regnet in annos.

Et quibus regnum stetit usque , Divi ,

Una sit vobis meliorque cura

Ille , qui vestris meditatur aris


Ponere honores.

Sit parùm victo dare jura mundo ,

Et sibi , solo quibus itur , arduis

Nunc avos ardet super astra vestros

Jungere factis.



BEATO THOMÆ VICTORINO,

MARTYRI.

SUNT sacrae leges, quas frangere nulla potentum
 Vis valeat: quas non hominum fraudesque, dolique,
 Nec variae ambages mutant: temeraverit illas
 Fortè aliquis: vires augent & ab hoste resumunt,
 Splendescuntque magis, summo subdenda Tonanti.
 Non hominum arbitrio, suprema oracula legum.

Pro Christi imperio, pro Religione tuenda,
 Ingens occumbit gladiis immitibus Heros,
 Quem THOMAM dicere, insigni nomine THOMAM.
 Ille tuebatur decreta antiqua Priorum,
 Jura poli, praestans animis, non dira timebat
 Supplicia, ardenti superorum accensus amore,
 Vir sine labe, expers sceleris, parvæque beatus.
 Sorte, Deo totus tranquillâ mente vacabat;
 Nam non divitias, non affectabat honores,
 Sed voti exiguus, pateat quo tramite coelum
 Monstrabat, lapsos revocans in pristina mores.
 Se se attollentem Parisina per oppida famam,
 Ardoremque animi immensum haud potuere tyranni
 Deprimere, afflictis audet succurrere rebus.
 Noverat interpres coeli, quid jura vetarent,
 Quid sinerent, quantum divina Oracula pondus;
 Quid pia sensa Patrum, quid prisca exempla docerent.
 Nec minus insidias Theobaldi inimitis, & artes
 Noverat: hic meditans Christi subvertere legem
 Turpem praeda animum sacro de munere nactus,
 Illicitos questus, & lucra indebita poscit.
 Immuni Clero jam vestigia figit

Votivæ rapiuntur opes , appensaque dona ;
 Jam sacris non tutâ locis , spoliantur & aræ ;
 Numine contempto prius ; & tuâ fulmina cessant ;
 Summe Deus ! sacris stabat pro legibus Heros ;
 Explorat prædonum animos , quibus ardor habendi
 Inspirat cæcam rabiem. Quot bella ciebut
 Quas clades stragesque ! suo sed munere fultus ;
 Ibat in adversos confidentissimus hostes.
 Insensum coelum omne monet : si detonet , inquit ;
 In tantum facinus , cervices franget iniquas ,
 Et longa in seros descendet poena nepotes.
 Incassum cecidère minæ : furit acrius hostis.
 Et conjuratam spirat gens impia mortem ;
 Undique stant struxerunt insidiæ. Se destinat aris.
 Interea pugil , & Christi se robore vestit ,
 Ut Christo melius cadat imperterritus Heros ,
 Sperabatque mori , propriis jam victima votis :
 Nam quid ego , dixit , post crimina tanta superstes ?
 Contemptæ leges , scœdataque jura tyrannis
 Et Divum violatus honos , & sacra teruntur :
 Quin Deus everlis spretus procul exulat aris.
 Si tamen ô possent defendi sanguine leges ,
 Legibus hunc totum (foelix jactura !) cruorem ,
 Et qualemcumque optarem hanc impendere vitam.
 Sed fortasse alium (hunc oculis Deus aspicit æquis)
 Ultorem quondam inveniet , qui numine plenus.
 Antiquos ritus , monumenta antiqua priorum
 Restituet , nova subvertens , penitusque revellet.
 Impia jura ; suos & legibus addet honores.
 Impetet hunc furiosa cohors , sed nescia flecti.
 Virtus , adversæ se contra opponere moli
 Audebit sola , & rebus se major in artibus
 Exeret assurgens per mille pericula Virtus ;
 Prædonum primum insidias vitabit , & artes .

230 BEATO THOMÆ VICTORINØ

Ridebitque minas ; non verbera dira , neque ictus ;

Atque inconcussam non frangent præmia mentem.

Fœlix quem talis manet exitus ! omnis in illum

Incumbet furor , ac tandem delusus ab hoste

- Occidet insidiis. Summi moderator olympi ,

Nunc defende tuas , tua sunt oracula leges ;

Hæc THOMAS ; jam jam ipse suos præsentit honores ;

Ipse sui præco , & proprio canit ore triumphos.

Imprudens ! melior , dixit , cadat hostia Christo.

Et quamquam exultans animi sibi prælia poscat ,

Castigat tamen insolitos , & temperat æstus ;

Sed frustra. Per iter dum curru investus eodem

* Quo Stephanus , THOMAS , illis nam fortè diebus

Commisos populos Præsul lustrabat & urbes ,

Ecce ruunt glomerati hostes , THOMAM-que repossunt ;

An se proripiet , nudos moriturus in enses

An se sponte dabit ? totum hunc ambire coronam ,

Et gladios jactare , manusque in vulnera pronas.

Ante omnes unus , pallentes morte propinquâ ,

Impetitur THOMAS , placet illis unica cades.

Carnificum quoties exceperat obvius ictus

Præsulis ingeniosus amor ; sed figit in uno

Se furor , & nondum fuso se sanguine pascit.

Proh dolor ! Heroëm fodiunt , mactantque , recessus

Vitales animæ rumpunt ; sic dira luporum

Agmina dilacerant vix tutos matribus agnos.

Execrata nefas rubuit sibi conscia tellus.

Stat pugil , innumero velut hostia sacra sub ictu ;

Seque probat moriens , gaudetque impendere vitam

Reliquias tenues , & amanti solvere CHRISTO ;

Hostibus obsequium , & pacem pro morte rependit ;

Majores in luce moras optasset , opima

Sæpius ut caderet repetitâ victima plagâ :

* *Episcop. Paris.*

Sed validum pectus telum perrumpit , ibique
Frangitur , invisit quamquam esset viribus Heros
Ibat purpureum follo de pectore flumen ,
Per totos artus , cruor emicat undique fusus ,
Hoc caput , hoc vestes , hoc faucia membra rubebant ,
Olli blanda tamen facies , ea gratia vultus ,
Quæ fuerat nuper , fuso magis aucta cruore est ;
Crediderim nostros dudum flevisse parentes
Tam duros obitus : nos cetera turba , Minores ,
Projecti ad tumulum cineres assamur amicos :
Tam sanctos cineres servat domus , aurea Templa
Jam dudum exposcunt , Divûmque merentur honores.
Et mihi nescio quid nuper rumoris in aures
Repit , & hanc in spem rapior SANTOLIUS , & jam
Orator Latios proceres magno alloquar ore ?
Ostendam quales pro Religione tuendâ ,
Et quantos tulerit cœlo plaudente labores ,
Dicam pro templis omnem effudisse cruorem ;
Utque necem exciperet , nudasse in vulnera pectus ;
Adjiciam ut Christo moriens superaverit hostes ,
Factorum testes tabulas , antiquaque scripta ,
Membranas veteres , & mille volumina pandam.
Si Vaticanâ summus de rupe Sacerdos
Annuat oranti , & liceat celebrare quotannis
Annua Sacra , tuos jam tum dicemus honores ,
Ipse adero : & quamvis sacri sum Muneris experts
Tunc aras de more , sacratâ in veste Sacerdos ,
Pulpitaque ascendam , & manifesto numine plentus ,
Omnibus exponam populis ingentia facta.
Tot proceres inter , quos vexit ad æthera virtus ,
Purpureâ THOMAS redimitus tempora vittâ
Et Tyrio incedet chlamidem spectabilis ostro.
Hunc aperire diem jam gestio , ritè dicatum
Servabunt feri per secula mille nepotes.

232 B. THOMÆ VICTORINO MART.

Nam tibi centum aras , Parioque è marmore templa
Ponemus ; precibus jam , Т Н О М А , assuesce vocari ;
Et nostris , si fortè cadant , ne defice rebus.
Nos eadem domus , & communis regula vitæ ,
Nos tibi junxit (adhuc Superi mortalia curant.)
Aspice nos , animisque potens illabere nostris.
Scis quid opus , nos quanta premant , averte pericla ;
Scis , Pater , indomitos juvenili in pectore motus ,
Atque iras Vatum indociles , fastusque superbos ;
Affer opem , medicamque manum ; mea vincula rumpe ;
Rumpe , Pater , densamque animo procul excute nubem.
Me duce bis denos , pudeat , vixi amplius annos ,
Te duce nunc vivam , da temnere gaudia vitæ ,
Terrenas & opes , & quidquid moribus obstat ,
Fraudesque , invidiæque , & inanis nomina famæ ;
Ridebo curas hominum , vanosque labores..



IN VANAS POETARUM FABULAS,

ELEGIAS.

ITE procul veterum figmenta incondita Vatum;
 Dique, Deæque, sacros nec violate modos.
 Ludicra sat vacuas tenuistis Numina mentes,
 Nec Dea Melpomene es, nec mihi Apollo Deus;
 Antiquis liceat sic insanire Poëtis,
 Quos vane lustrat Relligionis amor.
 Longè alius mentem ardor agit, dediscere nugas
 Admonet, atque aliâ me jubet ire viâ.
 Dux mihi Christus erit; fons rerum, & lucis origo;
 Hoc uno Vates igne calere velim.
 Parnassi pro monte, Sion se sanctior offert,
 Ardet adhuc puro Numinis igne Sion.
~~Mons facer ille tulit meliori numine Vates;~~
 Vates, qui falsos increpnuere Deos.
 Relligio melior postquam caput extulit astris;
 Æternum imperium, quâ pater orbis habet.
 Se mundo Deus afferuit, Deus ille deorum,
 Omnia supremis temperat arbitriis.
 Unus hic insanos potis est componere fluctus,
 Unus & iratis imperitare Notis.
 Hic ille est, cello qui summus ab æthere, terris
 Disjicit haud segni flammea tela manu.
 Ille etiam totum subiens tremefecit Avernum;
 Ultor ubi æterno se probat igne Deum.
 Et quæstor habet sortisque & fata nocentium,
 Nec Minos urnam, nec Rhadamante moves.
 Qui mare; qui terras, ter magnus & astra gubernat;
 Tergemini ridet ludicra regna Jovis.

234 IN VANAS POETARUM FABULAS

Ille ubi, quo tumidum graderis Neptune per æquor ;
 Currus ? ubi ille , moves quo freta magna , Tridens ?
 Vane Deum genitor , tua nunc ubi fulmina ? ubi illæ ,
 Sæve , quibus plestis crimina , Pluto , faces ?
 Illa rudes quondam populos figmenta movebant ,
 Vix ea nunc pueros , credula corda movent.
 Ridiculis conficta jocis , (ignosce Vetustas ,)
 Nec speciem Veri , nec decus artis habent.
 Molle , quis in truncum , nisi trunco durior ipso ,
 Virginis immeritæ vertere corpus amet ?
 Phoebus amat , Phoebum virgo deludit amantem ,
 Et fugit , & supplex à patre poscit opem.
 Mollia corticibus durantur membra puellæ ,
 Hoc pretium , Daphne , virginittis habes !
 Callidus in pluvium descendit Jupiter aurum ,
 Scilicet illa decent splendida furta Jovem !
 Quis ferat , emoto quando ruit æquore puppes
 Una Jovis conjux , & Jovis una soror ?
 Cui Mars non moveat risum deprensus adulter ,
 Nudaque qualis erat , compede vincta Venus ?
 O Divos , impune quibus peccare potestas !
 Non aliâ Dominos se ratione probant.
 Reliquias veterum infames , hæc monstra , Poëtæ
 Intempestivis ne revocate jocis.
 Si Christo nascente silent oracula , quid vos
 Ereptos alio redditis ore sonos ?
 Usque adeòne levis vos fabula pascit inanes ?
 Vos inopes rerum fabula dicit inops ?
 O utinam prisce remearent lucis in auras !
 Riderent ipsos , quos coluere , Deos.
Ergo sacra nova mutant jam Carmina Leges ,
Et suis Antiquis praripiatur honos.
 Nos ratio una regat , nec iniqua exempla moremur
 Priscorum , prisce despuere sibi.

Dis sine , servabit suctum Natura tenorem ;
Nec minùs immensas proferet orbis opes.
Vos culti , sine Pomonâ florebitis horti ,
Floribus accedet , te sine , Flora , decor ;
Pallebunt violæ ficto sine crimine Phœbi ,
Nativo insignes flore rubete , Rosæ.
Candida virgineum referant intacta pudorem
Lilia , non vanæ candida lacte Dex.
Hesperidum valeant horti , vigilataque poma ,
Se satis ipse suo flore coronat ager.
Nec jam ego te validâ timeam violare bipenni ,
Fatidico frustra , Quercus amata Jovi.
Dum cantu strepit omne nemus , referamne volucres ,
Ob veteres rixas jam sua fata queri ?
Ecquid Hamadriades sylvis , quid Naiades undis ?
Sylva satis donis , & placet unda suis.
Et salient Fontes , et si sub Fontibus imis
Nympharum amplexu non teneatur Hylas.
Quisquis es , oblectant fictæ quem carmine Nymphæ ,
Nescio quis demens pectore vivit amor.
Ludicra nam molles animos demulcet imago ,
Dum placet umbra minùs , quàm simulatâ Dryas.
Indè mali labes , hinc Vatum insana libido ,
Immiscens teneris blanda venena modis.
Non tamen obvia verba , & inania nomina laudem ,
Permittam ingenio quò decet ire meo.
Externos vultus nudis effingere rebus
Nil dubitem , atque aptis res animare modis.
Bella cano ; veniat piceâ Discordia tædâ ,
Non bellatores ducat in arma Deos.
Aptentur pennæ Ventis , Famæ oraque centum ,
Centum urbes , totidem personet illa tubis.
Exultent læto Montes & Flumina plausu
Inter saxa mihi garriat Unda loquax.

236 IN VANAS POETARUM FABULAS

Et gemment Vites , & pratis rideat Herba ,
 Quasque Æther hausit , Terra reposcat aquas ;
 Non unâ rerum splendescit imagine carmen ,
 Sæpe ambit proprio nomina motta loco ,
 Parcitis aliorum frænanda licentia Vatum :
 Affectant aurâ liberiore frui.
 Hanc sed enim observent legem , ne pulsa reducant
 Numina , nil falsâ religionem tegant.
 Non ideo incipiet retro sublapsa referri
 Res Vatum , hoc damno Carminis auctus honos.
 Naturæ speciem mendax obscurat imago :
 Aut vera , aut veris fac propiora canas.
 Virgo verecundos tenui velamine vultus
 Celat , & hinc blando gratior ore nitet.
 Sic pulchram pulchro verum celabis amictu :
 Auro inclusa micat splendida gemma suo.
 At veros licet è fictis expromere sensus ,
 Et jam subductâ grandia nube patent.
 Scilicet is Vatum labor est , ut seria ludis
 Turpibus involvant , dedecorentque jocis.
 Quid faciant miseri , si non cantetur Apollo ?
 Pierii colles , Pieridesque Deæ ?
 Tum demùm applaudunt sibi , si rationis egentes
 Obtrudant cantus , & sine mente sonos.
 Ah ! potius sit moestum , sit miserabile carmen ,
 Lectori & sesto tædia mille ferat.
 Sed majora Deus præbet spectacula quàm quæ
 Infans Error fingit imaginibus.
 Et quid non poteris ? foecundum concute pectus ;
 O Vates , pulchri semina pectus habet.
 Inspice res intus , mille argumenta ministrant ;
 Magnaque vel minimis gratia rebus inest.
 Quidquid sincerum menti Sapientia dicat ,
 Id sequere adnitens , hanc venerare ducem.

Et veneres linguæ , nec longè quare leporem ;

Utrò quæsitus promicat ipse lepos.

Sublime ingenium fucum , fastidit , & umbras ;

Nativis gaudet luxuriare bonis.

O si naturæ nossent mysteria Vates !

Ingenuâ simplex cresceret arte labor.



AD MELDENSIUM EPISCOPUM
JACOBUM BENIGNUM
B O S S U E T U M ,

Religioni se excusat accusatus quòd Pomonæ , cùm de re
hortensi poetice scriberet , vocem usurpasset.

P O E T A C H R I S T I A N U S .

NON te deserimus , quàm primis hausimus annis ,
Religio , sacri custos sanctissima Veri ,
Fida comes , tutela , & pectoris hospita nostri ,
Non te deserimus. Raptos tibi nuper honores ,
Atque parùm castis violatas cantibus aures
Conquereris : nostrum ah ! permitte resellere crimen ,
Si quod inest , & te vel iudicè dicere causam.

Lusimus , & nuper Pomonam induxit in hortos
Ruris amans , morisque tenax mea Musa vetusti ;
Quod scelus hoc nostrum est ? quo damnas jure Poëtam ?
Non perit inde tuis reverentia debita sacris.
Conveniunt aliquando leves post seria ludi ;
Inde animos capit , & dulci recreata labore
Mens ad opus longè redit acrior ; & sua Musæ
Otia sunt : libram interdum Themis ipsa remittit.
Grandia fulta suâ se majestate tuentur.
Unde times ? primum teneri si floris honorem
Ludentes circùm Zephiri mulcentibus alis
Tantisper lædant , fixas radicibus altis ,
Non ideò avellunt annofo robore quercus.

Non hîc venantùm , seriant qui corda sagittis ;
Mollibus in pratis ludet chorus omnis Amorum ,
Nec spurci mala furtiva Jovis , Venerisque nefanda

Turpia adulteria , & non legitimos Hymenæos
Ægrâ fronte leges ; pura omnia , & omnia sancta ,
Quæ vel inoffensâ poteris jam cernere mente.
Unde meum crimen cum se Natura recludat
Sponte suâ , & gazas hortorum evolvat apertas ;
Scribere , & æternis scribendo exponere seclis ?

Sunt sacra Naturæ mysteria , pervia sacris
Vatibus , & calamis non permittenda profanis.
Nec sandi modus est simplex , unusque Poëtis :
Mille artes & mille modos , & mille figuras ,
Dantque novos vultus , titulosque & nomina rebus.
Res ita mutatae sua nomina perdere gaudent ,
Sublustrique magis verborum nocte resurgent.
Nonne tui Vates manifesto numine pleni
Increpitant maria ? atque manu dant plaudere magnis
Fluminibus , celsosque jubent descendere Montes ,
Et valles se se erigere , & gestire superbos
Agnorum in morem nutanti culmine Colles ?
Quin etiam Nubes , durumque liquecere Cælum
In pluvijs fontes , subitoque rigescere mandant.
Ad nutus properant Morbi , Pestisque , Famesque.
Terribiles visu formæ , & cum falce minaci
Prædatrix , gravis exuviis , atque ossæ tota ,
Mors truculenta venit , stridensque , equitansque per auras ;
Cuncta metit , vastatque suis cum civibus urbes.
Nonne etiam Pueris aptant coelestibus alas ,
Lactea colla , pedesque , manusque , simillima nostris
Oribus ora , sonos addunt , mutisque loquelas ?
Et ludens POMONA tuas malè verberat aures ?
Crediderim simulasse iras , causamque querelæ ,
Nec calamos in me lethali armasse veneno.

Tu , quæ mitis amas miserorum ignoscere culpis ;
Cur tenuem ob noxam , Vatem indignata repellis ?
Te non ira decet ; capimus tua jura volentes ,

Se tibi majestas foliorum , & regia sceptrâ
 Submittunt , pavidî tibi ponunt arma tyrannâ.
 Fulgentem radiis & toto numine cinctam ,
 Infernæ te acies , te te impia Tartara pallent ;
 Quin etiam ipse tremens duri dominator Averni ;
 Ad primos vocis sonitus , caput abdit in antris ,
 Nocte suâ vix tutus : & ipsa impervia telis ,
 Florigeræ Nymphæ vocem turbâs ad unam !

Non tibi fas sine jure queri , servata tot annos ;
 Religio , tibi thura damus ; tibi ponimus aras ,
 Et tibi mansuros templorum augemus honores.
 Nonne vides , ut pulla procul tibi cesserit omnis
 Barbaries verborum , ut blanda vocabula duris
 Succelsère sonis ! aitor unde & casta venustas ;
 Quæ te , Virgo , decet , nostris se se explicat hymnis ;
 Nil majestati , quâ te super æthera tollis ,
 Detrahitur , sunt & verbis & rebus honores ;
 Legitimi puro exultant in carmine sensus.
 Qualis nuda , suo quæ gemma accenditur igne ;
 Quam digitis virgo gestare micantibus ambit ,
 Ornari egregiâ quamprimum vellet ab arte ;
 Aurum opifex addat , peregrinos addat honores ;
 Illa laborato jam vincta ardebit in auro
 Pulchrius , & veniet laudis pars multa metallo.

Te legit & relegit , multisque operata juvenis
 Sinceris sapiens doctrinam è fontibus haurit ,
 Divinumque bibit pulchræ virtutis amorem.
 Nos deceat Vates cœlestem accendere flammam ;
 Cantibus & nostris ad fortia ducere facta
 Egregios , juvenes , magnumque in nomen ituros.

Intrastrabile opus , Romanâ incude subactum ,
 Mirata est nova Roma , novis se agnovit in hymnis
 Roma vetus , mater Latii , custosque nitoris.
 Non est unde tuis dicar nunc transfuga castris ;

Ante tuas , memini , Phoebum ejuravimus aras :
 Indecores mugas , & ludicra numina Vatum
 Exuimus ; teneris & adhuc pubentibus annis ,
 Altiùs hæc animo figmenta impressa sedebant.

Proposita pulchro laudis succensus amore ,
 Fandi mille artes , mille ornamenta petebam ,
 Implorans Superos omnes , si flectere possem ,
 Hæc lusus puer arte , meoque errore beatus.

At nunc , qui duce te , te solâ afflante magistrâ ;
 Alta , æterna cano summi decreta Tonantis ,
 Quique polum terris sacra per commercia junxi ,
 Quando Deum & Superos templis resonare dedisti.
 Dux operum mihi Christus , opem feret unus amicam ;
 Unus numen erit , fons rerum & lucis origo.
 Non alio ardeat fecundum numine pectus.
 Si quid ego aggrediar pro cultu , arisque tuendis ;
 Coelicolum radiantem aulam , magnumque Tonantis
 Describam Imperium , ut Verbum de mente paternâ
 Æternum , omnipotens , & inenarrabile Verbum ,
 Exiit , humanos moriturus ut induit artus ,
 Factus homo ; rapidis ascendam audacior axes ;
 Et qui luce suâ veluti se tegmine cingit ,
 Inter terrificæ rutilantis fulgura lucis ,
 Fixâ mente petam , & penitus velata latentis
 Interiora Dei sublimi carmine pandam.
 Non ego furtivas Solis de lampade flammâs
 Surripiam , nec Castalios potabo liquores ;
 Sed quæ totum urit sanctis ardoribus orbem ;
 Scintillam sacris rapiam è fornacibus unam ;
 Particulam Vates divinæ mentis habemus.

Ergo fume animos , te dignos concipe fastus ;
 Sub pedibus quæ monstra vides , fata nocte profundâ ;
 Tartaræ pestes rupto ex Acheronte profectæ ,
 Nequicquam caput attollant : dum maximus ultor ,

L

242 AD MELDENSIUM EPISC.

Boffuetus vi multâ obstat , calamoque , pedoque ,
 Erumpant superas ne rursus lucis in auras.
 Nec tibi nunc fraudes , furta , insidiæque timendæ ;
 Ex quo jam attriti infelicia semina Monstri ,
 Non cessat tanti socius Pelisso laboris ,
 Reliquias tristes , toto rescindere regno.
 Quæ decora alta olim plectroque , tubâque canebam.
 Quin etiam citharas , & plectra , tubasque sonantes ;
 Vocalesque simul , nuper mea gaudia , cannas ,
 Figimus ad sacros ultrò donaria postes ;
 Quæ te si jubeas , iterumque , iterumque sonabunt.
 Si tamen hæc , vix crediderim , te cura remordet ;
 Nec semel offensam liceat componere mentem ;
 Audite hæc seri , atque animo servate , nepotes ,
 Et sapite exemplo ; frangam mea plectra tubasque ;
 Avulsasque manu discerpam in vertice lauros.
 Et vestem exutus , dentâ comitante catervâ ,
 Compita per , longarum & per salebrosa viarum ;
 Depositoque supercilio , jam inglorius ibo ,
 Et gestans tædam ardentem , restique revinctus
 Colla ; manusque ambas , caput atro pulvere turpis.
 Nudus & ipse pedes , qualem decet esse nocentem ;
 Ibo , ibo angusti majora ad limina templi ,
 Detestansque scelus voce altâ & poplite flexo ;
 Fletibus & crebris ululatibus , & lamentis ,
 Quâ poterò , læsi placabo numinis iram :
 Felix ! si gremio lacrymantem , & acerba gementem ;
 Excipiat mitrâ effulgens , in vestibus aureis ,
 Per quem Relligio manet inconcussa , Sacerdos.



DIVÆ HUNEGUNDIS QUERIMONIA.

*Quòd Abbas clarissimus Hymnos , quos in illius honorem
conscribendos à Poëta impetraverat , mutatâ mente
neglexerit.*

LUDIMUR , & Superi vanum jam numen habemus ;
Sanctus honos templorum , & non indebita nostris
Numinibus rapitur divini gloria cultûs.

Sic me , Annæ , petis quondam meus ! heu tua nuper
Quò pietas , quò cura mei tibi cessit honoris ?
Nam memini ut nostro reparasti è divite fundo
Diruta templa , tuis jam nunc splendentia donis.
Cur modò , quæ duce te , scripsit mihi carmina Vates ;
Nunc durus laceras , & me , ludisque Poëtam ?
Dic , venit unde tuæ subita inconstantia menti ,
Quisve dolor justos excussit pectore sensus ?
Scilicet hoc tanti pretium est mercesque laboris ?
Impius ille fuit , Divæ nil tale merenti
Qui mihi legitimum & templis invidit honorem.

Rustica gens , nosti , Fetto redeunte quotannis ;
Ut de more mihi supplex ferat annua liba ,
Anni primitias , & agrestis munera gaze ,
His memorem testata animum , templumque coronet
Floribus , & postes , decoretque altaria fertis.
Quin per me servata seges , tumidæque racemus
Pelle rubens , nostris de munere pendeat aris.

Tu longè melius mihi consulis ; hæcenus hymnos
Quos & barbaries , & mendax cuderat Error ,
Romanæ linguæ opprobrium , turpesque prioris
Ævi reliquias , vanæ deliria mentis ;
Hos ego Diva sonos animo indignante ferebam.
Dicam equidem , (pectus jam dudum ea cura remordet ,)

244 D I V Æ H U N E G U N D I S .

Dum peragit mea festa , & vulgus templa frequentat ;
Castani incompolitis violabat cantibus aurem.

Puros pura decent , stolidæ non laudis egemus ,
Quos Veri jam pascit amor ; ridemus ab alto
Splendida quæ nobis scribunt mendacia Vates.

Tu celebrare meas meliori carmine laudes
Aggressus , Vatem multis è millibus unum ,
Assatum propiore Deo , & divina sonantem
Scilicet imploras supplex : ceu numine tactus
Ille tuis victus precibus , mea vota secundans ,
Sacrum , angustum , ingens meditatur pectore carmen ;
Et mea sæpè legens , relegensque ingentia facta ,
Facta , quibus Virgo , jam diva ascribor Olympo ,
Mollibus includit numeris , quos deinde sonabat
Explorans ne quid cantando offenderet aurem ;
Cuncta retractabat durus sibi censor , & asper
Delebat minus apta , novosque addebat honores ;
Castigans rigido , quæ sunt malè nata , labore.
Ac velut è ligno statuam qui extundere acerno
Cogitat arte opifex , sacratâ in sede locandam ,
Exutum nondum foliis , & cortice duro
Informem primò videas sine nomine truncum.
Accedat manus artificis ; fabrile , quod intus
Delituit , se prodit opus ; nova surgit imago ;
Apparet nova forma : sacris jam digna videtur ;
Atque aras ambit ; si frangitur , atria longa
Mœrebunt , tristes & vos mœrebitis aræ.
Sic rude carmen erat ; verùm noctesque diesque ;
Extremus labor atque severi industria Vatis
Addit multa operi. Quàm me hōc præcone beatam
Dixi ! aderam præsens , quando mihi scriberet hymnos ;
Ducebamque manum , magnamque in carmina mentem
Assabam , inspirans meliora , mihiq̃ue sibiq̃ue
Plaudebat scribeas , & me tollebat ad astra.

Ah ! quoties superis è sedibus obvia Virgo
 Descendi , nostrarum accensa cupidine laudum.
 Cultus erat Vates , culto sermone canebat
 Includens puro paros in carmine sensus.
 Lavideant Superi , si quæ tamen astra tenentes
 Invidia extimulat ; jam non ingloria terris ;
 Nec jam vilis eram , nuper vix cognita pago ,
 Diva incedebam propriis decorata triumphis.
 Nec mihi certaret projectis Magdala baccis ,
 Nec Catharis Virgo , positoque Pelagia fastu ,
 Florigera & nostri Dorothea semper amores.
 Magnus Vatis honos , mihi magnum addebat honorem.

Quæ tibi pro tali promissi munera dono
 Non ingrata ! meis ut honos & gloria templis
 Accessit duce te , sic & tibi gloria per me
 Accedet ; tibi divitiis , tibi sacra recludam
 Flumina , cœlestes gazas , cœlestia dona
 Desuper infundam , pulchrum virtutis amorem ;
 Candida non nigris succendent pectora tædis
 Tætareæ Pestes , non famæ dira cupido ,
 Non luxus , non ambitio , mollisque voluptas ,
 Non ventris rabidi ingluvies , nec avarus habendi
 Te cruciabit amor ; sed te sanctissima ducet
 Religio , primis custos tua semper ab annis :
 Hæ tuæ erunt comites , Pietas , Virtusque Fidesque ,
 Aurea Simplicitas , operosi nescia fastus ,
 Et bona Pax animi , & puræ bona gaudia mentis.

Non addam , quantæ tua rumpent horrea messes ,
 Quanta tuo ruri ubertas , quæ copia frugum ,
 Diversas tot opes mirabitur ipse colonus ;
 Luxuriabit ager ; bis fructibus utilis arbor ,
 Bis gravidæ matres agnorum , & scœnore multo ,
 Partu unò geminam mater dabit unica prolem ;
 Nulla pecus lædent contagia , nulla nocebunt

246 DIVÆ HUNEGUNDIS QUERIMONIA

Frigora , nec rabiem metuent armenta luporum ;
Non deerit nova semper & herba salubrior agnis.
Horrida maturas grando ne rumpat aristas ,
Per medias volitans huc illuc Diva procellas ,
Disjiciam ventos , & foetas fulmine nubes ,
Suspendamque inimicam imbrem , pluvialiaque astra
Arcebo procul , & soles revocabo serenos ;
Quòd si bella fremant , bella execrata colonis ,
Ipsa adero , & densæ latitans sub nubis amictu
Bellatrix , tanto in discrimine , funera mille ;
Spargam mille neces ; Pavor irruet effera castra ,
Ignotà percussa manu se montibus abdent.
Se sylvis , se se & specubus vix totà profundis
Me pugnante , simul trux arma ferocia ponet
Miles , & ipse suos dediscet prædo furores.
Hæc tibi dona ampla & longè majora parabam .
Cum te poenituit , lususque erroribus illum
Jam non ferre potes , quondam tua gaudia , Vatem.
Crudelis ! laceras hymnos , sacra carmina rumpis
Non violanda tamen , quæ , me inspirante , canebat ,
Teque probante ; ardor se se tuus unde remisit ?
Hymnis pro teneris , pro dulcisono modulatu ,
En nostræ æternis plangent ululatibus ædes.
Quis posthæc supplex HUNEGUNDIS numen adoret ?

F I N I S.

SANCTÆ MAXENTIÆ

VIRGINI ET MARTYRI.

HYMNUS I.

Huc vos, quæ superas incolitis domos,
Agni deliciae, currite Virgines,
Terris illa dies læta renascitur,

Quam Maxentia consecrat.

Virgo blanditias inter amabiles,
Miris, ne pereat, se cruciat modis.
Ardet digna Deo conjuge, quas nequit,
Vel mors solvere nuptias.

Vilis jam species, vanaque purpura,
Longè nunc aliis gaudet honoribus;
Clarum tot titulis dedidicit genus,
Coelestis generis memor.

Nequicquam thalamos proposuit pater,
Jam desponsa Deo iussa perhorruit:
Voto se penitus non violabili
Christo ritè dicaverat.

Quas non ille preces mollior addidit!
Quas non increpitans addidit & minas!
Christo pollicitam propositi memor
Virgo non temerat fidem.

Da te, summe Pater, tollere laudibus;
Da te, Christe, sequi, laurea Virginum;
Per te, divus Amor, frigida pectora
Puris ignibus ardeant. Amen.

HYMNUS II.

QUID fles ? jam lacrymis pone modum tuis.
 Cum sis sponsa Dei , si Procus impiis
 Te Christo rapere tentat amoribus ,
 Hic tentabit inaniter.

Dum secreta domi sola vacat Deo ,
 Fulsit lux oculis ; sed magis intima
 Puro lux animo fuserat , anxie
 Fert solatia Virgini.

Flexit , nata , tuum Religio patrem ,
 Versâ mente tuo proposito favet ;
 Quidquid Virgo velis , vult quoque , sis tuæ
 Index sortis & arbitra.

Non confusa patri ; præcipiti fugâ
 Se se proripuit ; visa Britannico
 Opportuna ratis littore , Virginem
 Promis fluctibus excipit.

Jam securo sui , vasta per æquora
 Ibat , læta suos , regnaque deferens ,
 Molles plusque timet blanditias Proci ,
 Tristes quàm Pelagi minas.

Castus ne faciat naufragium pudor ,
 Non horret dubii naufragium maris ;
 Se se Virgo fugâ servat , ut impiis
 Non succumbat amoribus.

Lusus fraude piâ Virginis , impotens
 Accusavit Amans perfidiam patris ;
 Sed contra queritur flens pater , & sine
 Natâ non pater amplius.

Da te, summe Pater, tollere laudibus;
 Da te, Christe, sequi, laurea Virginum;
 Per te, divus Amor, frigida pectora
 Puris ignibus ardeant. Amen.

HYMNUS III.

AT non sola fugis, qui fidei tuæ
 Servant depositum, sunt comites viæ;
 Illos inanimæ spes regit, & sua

Monstrat littora transfugis.

Ut se proripiat, ne citus advolet
 Indignatus Amans, nocte fugit velox
 Altum quando tenet aula silentium;

Hoc dat consilium pudor.

Felix, ô nimium! quæ minùs æquore,
 Quàm votis vehitur; flamine Spiritus
 Inflat vela sacer; non titubat ratis,

Tanto pondere firmior.

Sed ventis placidum cum mare stertitur,
 Terris grata tibi, cum patriam fugis,
 Tempestas oritur; scilicet hâc pluet

Fusus vulneribus cruor.

His, quæ sita diu non latet ampliùs,
 Altis detegitur Virgo recessibus:

Rursus tentat Amans; nunc prece, nunc minis,

Christi flectere Virginem.

Sed fraudatur amor, fit subitus furor;
 Arreptâque comâ Virginis amputat
 Pronum spontè caput; quàm meliùs frui


Tunc sponso dedit altero!

L V.

Adduntur comites, tres simul occidunt,
 Cæcis corporibus ritè litant Deo:
 Sic mactata cohors, astra super, suo
 Fertur flumine sanguinis.

Quæ fufis maduit tincla cruoribus
 Tellus sacra, suos excitet incolas;
 Quos si culpa gravis mordeat, expiet;
 Fufis crimina fletibus.

Da te, summe Pater, tollere laudibus;
 Da te, Chrifte, fequi, laurea Virginum;
 Per te, divus Amor, frigida pectora
 Puris ignibus ardeant.



H Y M N E S
P O U R L' O F F I C E
D E S A I N T E M A X E N C E .

P R E M I E R E H Y M N E .

E P O U S E S de l' Agneau , Vierges dont l'innocence
Vous donne l'heureux droit de le suivre en tous lieux ,
Accourez en ce jour où l'auguste MAXENCE

Monte en triomphe dans les Cieux.

Sur son corps elle exerce , en cent façons cruelles ,
Au milieu des plaisirs , une austère rigueur ;
Et fervente elle aspire aux nœces immortelles

Du Dieu qui regne dans son cœur.

Son amour pour la gloire où le Ciel la destine
Lui fait mettre en oubli, ses charmes & son rang ;
Son ame qui connoît sa celeste origine ,

Compte pour rien celle du sang.

Son Pere , mais en vain , lui parle d'hyménée
Et d'un illustre Amant lui présente les vœux ;
A son divin Sauveur elle a sa foi donnée ,

Rien ne rompra de si beaux nœuds.

Vainement il emploie & douceur & menace
Pour lui faire subir la conjugale loi ,
Elle résiste à tout par une sainte audace ;

Rien ne peut ébranler sa foi.

Pere Saint , jusqu'à toi daigne élever nos âmes ;
Fils , couronne des Saints , entens nos humbles vœux ;
Et toi divin Amour , source des saintes flammes ,

Viens nous embrâser de tes feux.

L vj

II. HYMNE.

NE versez plus de pleurs , & cessez de vous plaindre ,
 Quel mortel oseroit prétendre à votre cœur ?

Le Ciel veille sur vous ; & qu'avez-vous à craindre
 Étant l'Épouse du Seigneur ?

Lorsqu'au Ciel en secret elle offroit sa priere ,
 De rayons éclatans ses yeux furent frapper ;
 Mais par une plus vive & plus sainte lumiere
 Ses annuis furent dissiper.

Cessez de vous troubler , genereuse MAXENCE ,
 Votre sort désormais va devenir heureux ;
 Ce Pere qui vouloit vous faire violence ,
 Se rend favorable à vos vœux.

Elle fuit cependant le Palais de son Pere ,
 Redoutant les projets qu'il roule dans son sein ,
 Elle trouve un vaisseau dont la course legere.

Seconda son pieux dessein.

Son aimable Patrie est sans peine laissée ,
 Sans peine elle se livre au perfide élément ,
 Craignant moins la fureur d'une mer courroucée ,
 Que la tendresse d'un Amant.

Pourvu que sa pudeur évite le naufrage
 Et d'un profane hymen les funestes complois ,
 Tranquille elle verra l'impetueuse rage

Et des Aquilons & des floes.

L'Amant s'en prend au Prince , & bouillant de colere ;
 De son manque de foi se plaint amèrement ;
 Le Prince aussi se plaint de ne se voir plus Pere ,

Ou Pere de nom seulement.

Père Saints , jusqu'à toi daigne élever nos ames ;
 Fils , couronné des Saints , entens nos humbles vœux ;
 Es toi divin Amour , source des saintes flammes ,
 Viens nous embraser de tes feux.

III. H Y M N E.

*V*ous ne fuyez pas seule , intrepide MAXENCE ,
 Il en est avec vous qui suivront votre sort !
 Qui saintement conduits par la même espérance
 Entreront dans le même port.

D'un Amant emporté trompant la vigilance
 Et les honteux projets de sa bouillante ardeur ,
 Au milieu de la nuit dans l'ombre & le silence
 Sa fuite sauve sa pudeur.

L'Amour plus que la mer la porte en ce voyage ,
 L'Esprit Saint enfile seul les voiles du vaisseau ,
 Qui semble s'affermir & mépriser l'orage
 Sous un si précieux fardeau.

Si le calme des flots permet qu'elle s'ensuie ,
 Une tempête , hélas ! bientôt s'élèvera ,
 Qui ne pourra finir que par la douce pluie
 De son sang que l'on versera.

Elle se cache en vain dans un antre sauvage ,
 Dans le même réduit l'Amant porte ses pas ;
 Il supplie , il menace , il met tout en usage
 Mais il ne la fléchira pas.

En une âpre fureur le tendre amour se change ,
 Et l'Amant de MAXENCE assouvit son courroux ,
 Il lui tranche la tête , & croyant qu'il se vange ,
 Il la livre à son cher Epoux.

Sa main fumante encor frappe ceux qui la suivent ,
 Avec le même fer il leur perce le flanc ;
 Et dans le même port tous les trois ils arrivent ,
 Sur un sacré fleuve de sang.

Que les lieux où ce meurtre a la terre mouillée ,
 Soient par leurs habitans jonchés de mille fleurs ;
 Et si le moindre crime a leur ame souillée ,

Qu'ils l'effacent avec leurs pleurs ;
 Pere Saint , jusqu'à toi daigne , &c.

PERRAULT , de l'Académie Française.

P R O S A
S A N C T Æ M A X E N T I Æ
V I R G I N I E T M A R T Y R I .

P I A M A X E N T I A M

Cantent nunc agmina,

Cujus infantiam

Non lædunt crimina,

Nec pompæ seculi.

Duce Patricio,

Christo conjungitur;

Pro victu regio,

Tenuis vescitur,

Dapibus seculi.

Centum porticibus

Alta palatia

Postponens vilibus

Calis, fulgentia

Mens astra præripit.

Procis expetitur

Desponsa Numini;

Thoros at spernitur,

Et Deus Virgini

Laqueum eripit.

Matris blanditiæ

Fortem non molliunt;

Non patris impiæ

Voces dejiciunt

Furore perciti.

Virgo spirantibus
Se ventis credidit,
E regni finibus
Se mari tradidit,
Tenax propositi.
Fida cum sociis
Venit in Galliam;
Antris sub inviis
Obscurat gloriam;
Oris & speciem.
Aula confunditur;
Et squallet lacrymis.
Sponsas dejicitur;
Et ruens animis,
Concipit rabiem.
Quærens quam deperit;
Errat per maria,
Quam malè reperit.
Innocens hostia,
Felix, ah! plectitur.
Verbis fallacibus
Tentat allicere;
Verbis minacibus
Tentat & sternere;
Hæc nullis flectitur.
Ductor Barbentius
Nutrix Rosebia
Hortantur; fortius
Crescit constantia,
Frustrâ dum quatitur.
Fraudatus juvenis
Tortorem induit;
Sponsam cum advenit

Cæde dum imbuit,
Sanguine pascitur.
Amans fit carnifex;
Sed fit in scelere
Salutis artifex,
Et quam vult perdere,
Mittit ad æthera.

Sui mox impotens
Fugit, abripitur,
Et malè poenitens
Horret, irascitur,
Mente stans effera.

Virgo! quæ regium,
Litando nummi,
Sprevisti solium;
Jam throno Domini.
Fruens nos aspice.

Tu timens neminem,
Ut Christo viveres,
Endisti sanguinem,
Olimpi proceres
Sic nos & effice. Amen.

R. P. GOURDAN, *Victorinus.*

I N D E X

HYMNORUM,

IUXTA ORDINEM BREVIARII

R O M A N I.

FESTA DECEMBRIS.

4. Sacris Pignoribus, <i>vulgò sanctis Reliquiis</i> , I I.	
Hymni, <i>pagina</i>	1
Eodem die. In festo S. Barbaræ, IV. Hymni.	3
Prosa S. Barbaræ.	6
6. Pro S. Nicolao, IV. Hymni.	8
7. Pro S. Farâ, Virgine, III. Hymni.	12
8. Pro Conceptione & Nativitate Beatæ Mariæ Vir-	
ginis, II. Hymni.	14
13. Pro S. Iudoco, VI. Hymni.	16
14. Pro S. Nicasio Martyre, Rhemenfi Archiepiscopo,	
I. Hymnus.	18
26. Pro S. Stephano Protomartyre, III. Hymni.	20
27. Pro S. Joanne Apostolo, IV. Hymni.	22

FESTA JANUARIJ.

8. Pro S. Luciano Bellovacorum Episcopo, III.	
Hymni.	26
12. Pro S. Paulo Eremitâ, II. Hymni.	29
17. Pro S. Antonio, VI. Hymni.	30

I N D E X

Eodem die. Pro S. Sulpitio Bituricensi Episcopo ,	
IV. Hymni.	36
Ad sanctas Reliquias S. Sulpitii , II. Hymni.	40
18. In Cathedrâ S. Petri , II. Hymni	41
21. Pro S. Agnete Martyre , I. Hymn.	42
22. Pro S. Vincentio Diacono & Martyre , II.	
Hymni.	43
25. In Conversione S. Pauli , I. Hymn.	45
29. Pro S. Francisco Salesio , IV. Hymni.	46
Affectus Salesii ,	50
Virginibus à Visitatione dictis ,	51

FESTA FEBRUARII.

2. De Oblatione Christi in Templo , seu Purifica-	
tione B. M. V. III. Hymni.	52
6. Pro S. Vedasto Episcopo Attrebatensi , III.	
Hymni	55
Christo patienti , VI. Hymni.	58

FESTA MARTII.

8. Pro S. Joanne de Deo , III. Hymni.	63
19. Pro S. Iosepho , II. Hymni.	65
21. Pro S. Benedicto Abbate , IV. Hymni.	67
Sanctis Monachis Ordinis Sancti Benedicti , I. Hym-	
nus.	71
25. De Incarnatione Christi , seu Annuntiatione Do-	
minicâ , III. Hymni.	72

FESTA APRILIS.

7. Pro S. Mariâ Ægyptiâ , II. Hymni.	74
--------------------------------------	----

HYMNORUM.

FESTA MAII.

3. In Inventionē S. Crucis , III. Hymni. 75
 Eodem die. In festo Dedicationis Ecclesie Aure-
 lianensis , III. Hymni. 78
 19. Pro S. Petro Morono Cælestinorum Institutori ,
 III. Hymni. 81

FESTA JUNII.

10. Pro S. Landarico Episcopo Parisiensi , III. Hym-
 ni. 84
 11. Pro S. Barnabà Apostolo , I. Hymnus. 86
 Pro Octava Ascensionis Domini , III. Hymni. 87
 In Eucharistiam , III. Hymni. 90

FESTA JULII.

1. In Visitatione B. Mariæ Virginis , III. Hymni. 95
 15. Pro S. Hensrico Imperatore , IV. Hymni. 95
 17. Pro S. Hunegunde Virgine , IV. Hymni. 99
 Pro Translatione S. Hunegundis , I. Hymnus. 102
 21. Pro S. Victore Massiliensi Martyre , III. Hym-
 ni. 103
 Pro Susceptione Pedis S. Victoris , III. Hym-
 ni. 106
 22. Pro S. Mariâ Magdalena , II. Hymni. 108
 25. Pro S. Jacobo Majori dicto , III. Hymni. 110
 Pro Translatione S. Jacobi , I. Hymnus. 113

FESTA AUGUSTI.

2. In die S. Petri ad Vincula , II. Hymni. 114

I N D E X

3.	In Inventionē Corporis S. Stephani , I. Hym- nas.	115
6.	De Transfiguratione , III. Hymni.	116
7.	Pro S. Gaetano Theatinorum Institutore , III. Hymni.	118
10.	Pro S. Laurentio Diacono & Martyre , III. Hymni.	122
15.	In Assumptione B. Virginis M. IV. Hymni.	124
	Eodem die. Pro S. Frambaldio , I. Hymnus.	128
20.	Pro S. Bernardo Abbate , IV. Hymni.	<i>Ibid.</i>
28.	Pro S. Augustino Episcopo Hipponensi , IV. Hymni.	133
29.	In Decollatione S. Joannis Baptistæ , II. Hym- ni.	137
	Eodem die. Pro S. Mederico Abbate , III. Hym- ni.	138

FESTA SEPTEMBRIS.

1.	Pro S. Lupo Episcopo Senonensi , III. Hym- ni.	141
	Eodem die. Pro S. Ægidio , III. Hymni.	145
2.	Pro S. Lazaro à Christo suscitato , II. Hym- ni.	148
7.	Pro S. Clodoaldo , III. Hymni.	150
8.	In Nativitate B. M. Virginis. <i>vide</i> , In Con- ceptione.	14
14.	Sanctis Martyribus Cornelio & Cypriano , III. Hymni.	152
29.	Pro S. Michaële & Angelis , III. Hymni.	156
30.	Pro Susceptione sanctarum Reliquiarum Sacre Ca- pelle Parisiensis , III. Hymni.	158

HYMNORUM.

FESTA OCTOBRIS.

- | | | |
|-----|--|-----|
| 2. | Pro S. Remigio Rhemenſi Epifcopo , III. Hymni. | 161 |
| 6. | Pro S. Brunone Carthufianorum Inſtitutore , IV. Hymni. | 163 |
| | Solitudo ſancta ad Armandum J. Butillerium , | 167 |
| 9. | Pro S. Dionyſio Epifcopo Pariſienſi , II. Hymni. | 169 |
| | Pro Monte Martyrum , II. Hymni. | 171 |
| 24. | Pro Sancto Maglorio , II. Hymni. | 173 |
| 31. | Pro S. Quintino , IX. Hymni. | 174 |

FESTA NOVEMBRIS.

- | | | |
|-----|---|-----|
| 1. | In Feſto Omnium Sanctorum , III. Hymni. | 182 |
| 2. | Pro Commemoratione vitæ ſanctorum , V. Hymni. | 184 |
| 3. | Pro S. Marcello Epifcopo Pariſienſi , III. Hymni. | 189 |
| 11. | Pro S. Martino Epifcopo Turonenſi , III. Hymni. | 192 |
| 22. | Pro S. Cæciliâ , V. Hymni. | 195 |
| | Pro S. Arnulpho Martyre , III. Hymni. | 200 |

INDEX HYMNORUM.



COMMUNE SANCTORUM.

S anctis Apostolis , III. Hymni.	pag. 202
SS. Apostolis tempore Paschali , III. Hymni.	205
Sanctis Evangelistis , II. Hymni.	207
Martyri , III. Hymni.	209
Martyribus , II. Hymni.	211
Pontificibus ; I. Hymnus.	212
Doctoribus , III. Hymni.	213
Monachis , II. Hymni.	215
Confessoribus , III. Hymni.	217
Virginibus , I. Hymnus.	219
Virginibus Martyribus , III. Hymni.	220
Mulieribus Sanctis , III. Hymni.	222

Ad Christum deprecatio prosaïcè.	225
Ad eundem elegiacè.	<i>Ibid.</i>
Panegyris B. Thomæ Victorini.	228
In vanas Poëtarum Fabulas.	233
Ad Jacobum Benignum Bossuetum , Poëta Christianus.	238
Divæ Hunegundis Querimonia.	243
S. Maxentiæ Virgini & Martyri , III. Hymni.	247.
Traduction des trois Hymnes précédentes , par M. Perrault.	251
Prosa S. Maxentiæ , à R. P. Gourdan Victorin.	254



